PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLIII / FASC. III-IV
15 sept. - 15 dec. 1954

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1954

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

Pag.

I - Dissertationes et quaesita varia

Episcoporum triplex munus - observationes ad respectivas Allocutiones Pontificias mense maio et novembri 1954. R. P. F. HÜRTH S. I. . . . 231

De Euthanasiae liceitate. R. P. M. FÁBREGAS S. I. . 252

De Iure Anglicano. R. P. I. RISK S. I. 276

De donatione ad causam piam facta a non baptizato; casus Theologiae practicae. R. P. P. HUIZING S. I. 287

Delegatio sacerdoti determinato (c. 1096). R. P. L. BENDER O. P. 305

Notitiae Sacrae Liturgiae - Motus liturgicus et musica sacra. R. P. H. SCHMIDT S. I. 322

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

10. *Litterae Encyclicae de regali B. M. V. dignitate eiusque festo instituendo.* 334

11. *Adhortatio ad Italiae Ordinarios de televisione.* 352

12. *Nuntius radiophonicus ad christifideles die Paschatis Resurrectionis.* 361

13. *Epistula ad Praesidem coetus conventibus « semaines sociales » apparandis* . . . 364

14. *Allocutio delegatis e congregationibus marialibus internationaliter foederatis* . . . 373

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

EPISCOPORUM TRIPLEX MUNUS

Observationes ad respectivas Allocutiones Pontificias mense maio et novembri 1954

1. Inter factas « Anno Mariano » 1954 Allocutiones Pontificias ratione personarum, ad quas dirigebantur, (ad E.mos scl. Cardinales et ad Exc.mos Sacrorum Antistites, qui pernumerosi ex toto Orbe Romam venerant) principalem quendam tenent locum duae Allocutiones, 31 Maii et 2 Novembris habitae, altera occasione canonisationis S. Pii X, altera occasione sollemnis proclamationis festi Regalitatis B. V. M. (iam instituti antecedente die 11 Octobris) atque incoronationis imaginis « Salus populi Romani ». Celebritates, quibus occurrentibus hae Allocutiones habitae sunt, merito dicuntur earum « occasiones »; nam earum thema et materia principalis non respicit has festivitates, sed curas ac anxietates quae intuitu Ecclesiae mentem et animum Summi Pontificis occuparunt, quasque cum Cardinalibus atque Episcopis coram ipso praesentibus communicare voluit.

2. « Sollicitudo omnium Ecclesiarum quae Nobis incumbit, et vigilantia, quae pro supremo Nostri officii munere cotidie Nos urget, impellunt Nos, ut ob oculos Nostros ponamus et perpendamus quaedam ad mentis sententias, ad animi sensus, ad actionem vitae spectantia, in quae vestram quoque sollicitudinem et vigilantiam converti volumus, ut eam Nostrae iungatis, atque ita citius

et efficacius gregi Christi provideatur. Agi enim videtur de cuiusdam contagionis spiritualis indiciis atque effectibus, qui pastoralem curam expetunt, ne invalescant grassarique incipiant, sed in tempore sanentur et quam primum tollantur ». (AAS. 1954 pG. 314).

3. Quae dicere in animo habuit, triplici muneri adnexuit, quod Episcopis ex institutione Christi competit i. e. magisterium, sacerdotium, regimen. In prima Allocutione d. d. 31 Maii non nisi de Episcopis, tamquam ex iure divino *Magistris authenticis,* (idest a Christo statutis et Christi auctoritate docentibus) egit, pauca quidem, sed gravis ponderis atque magni momenti puncta urgendo. De munere magistri Pontifex effert: 1) in Ecclesia immediate ex iure divino non esse magistros authenticos nisi Romanum Pontificem et in unione cum eo atque sub eo Episcopos; 2) hos sibi arcessere posse et revera arcessere alios (clericos et laicos) tamquam in magistri munere socios, consiliarios, mandatarios, qui non suo nomine neque titulo scientiae magistros agant, sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperint, 3) « docentes theologiam » (professores in Universitatibus, Academiis, Athenaeis, Seminariis), munus docendi habere ex Episcopis, sub effectiva directione et vigilantia eorum. Theologi ergo secundum hoc effatum Pontificis non sunt « Magistri Magisterii Ecclesiae », sed eius mandatarii, consiliarii, socii arcessiti. Quid eorum sit munus, in subsequenti Allocutione diei 24 Octobris 1954 ita designatur: « Theologis grande incumbit munus, depositum (fidei) ex Ecclesiae mandato eiusque ductu, penitius investigandi, singularemque veritatum naturam, nexum, ad sacrae doctrinae normas, perscrutandi atque explicandi ». (AAS 46 [1954] 678). Speciali ictu pluries monetur: quorundam hodie in theologia docentium aberrationes et deviationes originem habere proprie « ex neglecta coniunctione cum Magisterio Ecclesiae » (AAS. l. c., pg. 315/16); quod

idem iterum inculcatur in modo allegata altera Allocutione d. d. 24 Oct. 1954 (AAS., l. c. pg. 678). Hic intrant, (neque tamen tractantur) plures quaestiones gravissimae, antea et alibi tractatae de « vivo Magisterio Ecclesiae », de eius natura ac indole, de eius membris, de obiecto, de actione actionisque effectu in ordine intellectuali, volitivo, morali. In Bulla dogmatica « Munificentissimus Deus » d. d. 1 Novembris 1950 primum et principale argumentum pro dogmate Assumptionis B. V. M. assignatur « concors ordinarii Ecclesiae Magisterii doctrina » (AAS. 42 [1950] p. 756), quod *Magisterium* in contextu intellegi debet « actuale Magisterium vivum » (seu nunc vivens Supremus Pontifex et uniti cum eo nunc viventes Episcopi, non autem Episcopi ac Pontifices saeculorum praeteritorum). Hoc Magisterium vivum: « cuilibet theologo statuitur proxima et universalis veritatis norma » (*Humani generis*, 12 Aug. 1950, AAS. 42 [1950] p. 567; *Inter complures*, 24 Oct. 1954, AAS. 46 [1954] 678); tenet depositum fidei, tenet fontes revelationis, S. Scripturam et Traditionem, in quibus depositum fidei reconditur, quod habet authentice illustrandum atque interpretandum (l. c. pg. 678). In altera Allocutione « *Animus Noster* » (17 Oct. 1954) a Pontifice effertur de « Ecclesia », (quae in contextu iterum intellegi debet: exsistens quocumque semper tempore in Ecclesia *Magisterium vivum*):

> 4. « Etiam sanctissimo et praestantissimo Doctore numquam ecclesia veluti primigenio veritatis fonte usa est neque nunc utitur ... Ecclesia nempe, Dei mandatu Sacrorum Scripturarum interpres et custos, *in se viventis Sacrae Traditionis depositaria*, ipsa est ad salutem adipiscendam porta, ipsa, sub tutela ductuque Spiritus Sancti, *sibi fons est veritatis* ». (AAS. 45 (1953) p. 685).
>
> Unde plures de Magisterio vivo resultant quaestiones: Quo sensu « Magisterium vivum » dici potest: « depositaria *in se viventis* Sacrae Traditionis »?, quo sensu: « *sibi* fons veritatis »?

5 « Esse fontem », « reconditum habere in fonte », « haurire ex fonte », « communicare et distribuere aliis ex fonte » : re et conceptu differunt. Possuntne nihilominus haec omnia (re et conceptu diversa) in eodem Magisterio vivo simul haberi et de eo secundum formalem suas rationem praedicari (tamquam diversae functiones diversique aspectus unius eiusdemque Magisterii vivi Ecclesiae)? — An, et, si affirmative, quo sensu dici potest : Sacram Traditionem « *vivere* », in Ecclesiae Magisterio vivo? — An et, si affirmative, quo sensu dici potest : Traditionem Divinam, alterum Revelationis fontem, esse etiam ipsam, sub tutela ductuque Spiritus Sancti, *in* Magisterio vivo et *a* Magisterio vivo contentam veritatis revelatae notitiam, professionem, praedicationem, institutionem, attestationem? Quod *si* ita est, Magisterium vivum ex se ipso, tamquam « fonte », veritatem revelatam haurire potest, reflectendo in se ipsum : in suam praesentem fidem, notitiam, professionem, praedicationem.

6. Quod *si* ita est, intellegitur, cur Episcopi viventes, ad Summi Pontificis d. d. 1 Maii 1946 quaestionem : *An censeantur, Assumptionem corpoream Beatissimae Virginis tamquam dogma fidei proponi et definiri posse,* reagere potuerint, reflectendo in propriam fidem, notitiam, professionem, praedicationem, ac dein secundum scientiam et conscientiam potuerint respondere, etiam sine amplo et profundo studio historico. — Quod *si* ita est, etiam apparet, non solum *factum* « ex ordinarii Magisterii universalis consensu certum ac firmum sumi argumentum quo comprobatur corpoream B. V. M. in coelum assumptionem ... veritatem esse a Deo revelatam » (*Bulla dogm.*, AAS. 1950 p. 757), sed etiam apparet, *quomodo* hic Episcoporum quasi unanimis consensus eo ipso talis *est,* quod haustus dici possit ex *fontibus revelationis,* scl. ex fonte « traditionis divinae », viventis in Ecclesiae Magisterio vivo. — Non est huius loci has quaestiones

discutere, multoque minus eas dirimere. At quaestiones innuunt, quantum ponderis et sensus insit formulae « *vivae Ecclesiae vivum Magisterium* ».

7. Intime cum hac quaestione, quaenam scilicet relatio intercedat inter Ecclesiae vivum Magisterium et fontem Traditionis divinae, nectitur quaestio de *argumento* ex « traditione » hauriendo. Omne « Traditionis divinae » argumentum ex natura rei semper est argumentum « historicum » eo sensu, quod nil tamquam revelatum (certo, probabiliter, dubie) asseri et admitti possit, nisi quod « *traditum* » est et traditum esse *probatur*. Argumentum autem historicum ex « traditione divina » fieri potest, sectione aut longitudinali aut transversali (facta scilicet per *viam* transmissionis). Sectio longitudinalis *terminum* et *viam* ad terminum exhibet, sectio transversalis exhibet terminum, non viam ad terminum, seu ostendit: a Magisterio Ecclesiae determinato momento temporis determinatam veritatem proponi tamquam revelatam ideoque ut « traditam », neque tamen ostendit, qua via et modo haec veritas fuerit « tradita ». Utraque sectione argumentum *certum* fieri potest; utrumque argumentum est *historicum* sensu supra indicato; utrumque est *scientificum*, intellegendo « argumentum scientificum » argumentum petitum ex fonte, obiective cum veritate necessario connexa, cuius huiusmodi nexus clare innotescit, et de cuius nexus perspicua certitudine et firmitate ratio redditur. Argumentum de veritate quadem revelata, sumptum ex Magisterio vivo, saepe magis habet indolem argumenti hausti ex sectione transversali, exhibens ergo factum et terminum, non viam.

Quae si prae oculis habentur, magis perspicua evadunt verba Pontificis ad coetum Episcoporum dicta:

> 8. « Quidam docentes parum quaerunt coniunctionem cum vivo Ecclesiae Magisterio, parumque mentem animumque convertunt ad communem eius doctrinam hoc vel illo modo clare

propositam; simul autem nimium dant proprio ingenio, mentis habitui recentiorum, aliarum disciplinarum normis, quas unicas dicunt et habent tamquam verae doctrinae rationibus et praeceptis consentaneas » (*Si diligis*, 31 Maii 1954, AAS., 46 (1954) p. 315).

9. Quae in his aliisque pluribus Pontificiis Allocutionibus, Nuntiis radiophonicis, Litteris encyclicis de « viva actuali Ecclesia » et de « vivo in ea Magisterio » dicuntur, vix plenum sensum plenamque vim exserere possunt, nisi aliquo saltem modo habita fuerit harum quaestionum modo allegatarum ratio.

10. Absolutis monitis, quae respiciunt theologos (clericos), sub Magisterio authentico in Ecclesia docentes, in Allocutione quaedam monentur quoad *laicos*, idest quoad *laicalem theologiam* et *laicales theologos* (AAS. 46 [1954] pg. 316/77). Memorato et approbato *facto* laicos quoque admitti et vocari ad doctrinam christianam in Ecclesia docendam, a Pontifice urgetur: laicos agere non posse magistros nisi ex missione Magisterii authentici atque sub eius directione atque vigilantia; eos ergo non docere neque ex proprio iure neque ex immediata aliqua charismatica vocatione divina, quae examini, auctoritati, ductui atque vigilantiae Magisterii Ecclesiae sit subtracta. Quae Pontificis verba de laicis, cum multiplicis suspicionis ac investigationis necnon repetitae apud S. Sedem interpellationis fuerint ansa, interpretationem quandam (plus minus « officiosam ») acceperunt per duos in *L'Osservatore Romano* publicatos articulos « *La teologia e i laici* » (L'Osservatore Romano Nr. 214, die 15. Sept. 1954, pg. 1, et Nr. 215, die 16 eiusdem mensis et anni), quorum primus respicit theologiam *de* laicis (« de « laicatu » in Ecclesia), alter theologiam *a* laicis propagatam; ille respicit ea quae in theologia dicuntur de loco, quem tenent laici in Ecclesia, de quibusdam eorum functionibus, statibus, etc. — (tanguntur quaestiones de natura

iuridica Actionis Catholicae, de sacerdotio universali fidelium, de matrimonii fine, valore, dignitate (neque deprimendis neque exaggerandis), de laicorum actione in vita publica, sociali, politica, in quantum inibi tanguntur religiosa et moralia) —; hic respicit ipsam religiosam activitatem laicorum in campo theologico; memoratur nonnullorum assertum ac postulatum: competere in Ecclesia laicis *propriam atque independentem theologiam,* tamquam vocem repercussam (« *Echo* ») opinionis fidelium; memoratur reiecta *omnis praevia censura* publicationum, quas laici de obiecto theologico edunt; *axioma* (a quibusdam statutum) « *Plebisciti* » seu « *Referendum* » *massae laicorum;* memoratur: nonnullas eo usque procedere, ut dicant Ecclesiam in materia sive dogmatica sive disciplinari nihil, quod habeat characterem definitivum, stabilire posse, nisi praecesserit profunda rei stabiliendae discussio ex parte tum laicorum tum clericorum (theologia « democratisata »). — Huiusmodi *laicalis theologia* et *laicales theologi* a Pontifice reprobantur, atque subsummuntur sub illis « cuiusdam contagionis spiritualis indiciis atque effectibus, quae pastoralem curam expetunt, ne invalescant grassarique incipiant, sed in tempore sanentur et quam primum tollantur » (AAS., 46 [1954] p. 314).

11. Nactus die 2. Novembris 1954 expectatam novi Episcoporum Orbis concursus occasionem, Pontifex sermonem de triplici Episcoporum munere (Magistri, sacerdotis, pastoris), die 31. Maii eiusdem anni coeptum et quoad primam partem, (urgentes scl. quasdam *Magisterii* necessitates) absolutum, continuavit, simili modo disserens de quibusdam deviationis in campo sacerdotii et regiminis imminentibus periculis.

12. Quoad sphaeram *sacerdotii* primo inculcatur doctrina Concilii Tridentini (sess. 22, cap. 2; Denz n. 940),

quod doceat: in sacrificio Missae et in sacrificio crucis unum eundemque esse « offerentem », Christum Dominum, unam eandemque esse « hostiam oblatam », diversam solummodo esse « offerendi rationem », cruentam in cruce, incruentam in Missa; per quam incruentam oblationem oblationis cruentae fructus (propitiationis, remissionis, satisfactionis) uberrime communicari. In Allocutione urgetur dein (propter rationem statim monendam) differentia inter quaestionem de *natura actus* oblationis sacrificativae et quaestionem de eius *fructibus*. « Natura actus », quem sacerdos, gerendo in celebratione ipsam personam Christi, ponit, est in ipsius « Christi hostiae » per ipsum « Christum offerentem » *oblatione sacrificativa,* quam Christus in momento consecrationis, peragit et absolvit. Una eademque ergo hac oblatione sacrificativa Christus (ministerio sacerdotum) se ipsum praesentem ponit in statu hostiae super altare *et* tamquam hostiam se Deo offert. In hac ipsius Christi per ipsum Christum « oblatione » (cruenti in cruce, incruenti in altari), consistit *elementum formale* sacrificii. Et haec ipsius Christi per ipsum Christum (ministerio sacerdotum) « oblatio » peragitur et finitur consecratione; aliae « oblationes », quae in Liturgia Missae consecrationem antecedunt vel subsequuntur, non sunt eodem dicto modo « actiones ipsius Christi », (neque sacerdotis, tamquam sensu stricto et presso « personam Christi » gerentis).

13. His attentis apparet, cur, exposita doctrina Tridentini, memoretur et reiciatur tamquam « error » opinio quorumdam asserens:

> « Idem esse unius Missae celebrationem, cui centum sacerdotes religioso cum obsequio adstent, atque centum Missas a centum sacerdotibus celebratas. Non ita profecto. Quoad sacrificii Eucharistici oblationem tot sunt actiones Christi Summi Sacerdotis, quot sunt sacerdotes celebrantes, minime vero quot sunt sacerdotes Missam episcopi aut sacri presbyteri ce-

lebrantis pie audientes; hi enim, cum sacro intersunt, nequaquam Christi sacrificantis personam sustinent et agunt, sed comparandi sunt christifidelibus laicis qui sacrificio adsunt ». (AAS. 46 (1954) pg. 669).

14. Urgetur dein essentialis differentia inter commune omnium fidelium sacerdotium et « sacerdotium proprie vereque dictum », (seu hierarchicum). — Magnis effertur laudibus: « Motio liturgica », varia eius Instituta, Conferentiae, Congressus diocesani, interdioecesani, universales.

Peculiariter notatu dignum est, quod quoad hos conventus liturgicos monetur et ad ea remittit quae modo dicta sunt de uno aut de centum sacerdotibus celebrantibus. « Hi coetus interdum propriam sequuntur regulam, ita scilicet, ut unus tantum sacrum peragat, alii vero (sive omnes sive plurimi) huic uni sacro intersint in eoque sacram synaxim e manu celebrantis sumant. Quod si hoc ex iusta et rationabili causa fiat, neque Episcopus ad fidelium admirationem vitandam aliud statuerit, obnitendum non est, *dummodo huic modo agendi ne subsit error supra a Nobis memoratus* » (Act. Ap. Sed., l. c., pg. 670).

Monetur deinde: quamvis nil obstet, quominus a « Motione liturgica » faciendae in Liturgia modificationes discutiantur, proponantur, petantur, tamen modificationes proprio Marte ab ea peragi non posse. Hoc reservatum esse uni Sanctae Sedi; neque ipsis Episcopis competere talem facultatem, neque eos suis sacerdotibus vel coetibus liturgicis eiusmodi exsequendi licentiam posse concedere; neque permittere neque tolerare talia a sibi subdito clro vel fidelium coetu *via facti* peragi.

15. In tertia et ultima totius de Episcoporum triplici munere ad Episcopos sermonis parte, quae est de regimine seu de *munere pastoris,* non aliter atque in duabus partibus antecedentibus non tota huius muneris summa, sed pauca tantummodo puncta tractantur, relate ad quae his temporibus serium aberrandi sive in iudicio

theoretico sive in vitae actione *periculum,* immo et *factum* observatur. Nominantur puncta duo: alterum ex campo *obiecti* seu materiae, alteram ex campo *subiecti* seu personarum.

16. Quod attinet ad sphaeram obiecti, quaeritur de eius *ambitu,* utrum scilicet competentia Ecclesiae quoad munus pastoris restringatur ad *res religiosas,* an etiam ultra extendatur. Allocutio statum quaestionis quoad hoc punctum ita designat et circumscribit:

> « Et primo sane nunc animadvertuntur habitus mentis et propensiones, quae potestatem Episcoporum — (Romano Pontifice haud excepto) —, prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti, cohibere et circumscribere praesumunt. Eorum auctoritatem, curam et vigilantiam intra certos fines coarctant, qui spectant res stricte religiosas, veritates fidei nuntiandas, pietatis exercitationes moderandas, Ecclesiae sacramenta administranda et liturgicorum munerum functiones peragendas. Arcere autem volunt Ecclesiam ab omnibus inceptis et negotiis, quae veram, ut agitur, vitam, « la realtà della vita », quemadmodum ipsi aiunt, attingunt, cum haec posita sint extra eorum facultatem. Breviter, hic cogitandi habitus in publicis sermonibus nonnullorum laicorum catholicorum, etiam qui celso munere funguntur, interdum significatur, cum dicunt: 'Episcopos et sacerdotes, libenter videmus, audimus, adimus in Templis, in iurisdictionibus eorum; at in foris publicis et in publicis aedibus, in quibus res huius vitae et terrae aguntur et decernuntur, eos videre et eorum vocem audire nolumus. Inibi enim nos laici, — nequaquam autem clerici, cuiusvis dignitatis et gradus, — sumus legitimi iudices' ». (AAS. 46 (1954) pg. 671).

17. Ex his verbis deduci debet: ductum et vigilantiam Ecclesiae 1) non restringi ad res religiosas, sed 2) extendi etiam ad « realitatem vitae ». Realitas autem vitae designant campum, in quo res plurimae et maxime variae aguntur. Ideo assignari debet criterium et mensura, quibus cognoscatur et dignoscatur, quid et sub quo aspectu sub regimine « pastorum in Ecclesia » cadat. Assignatur in hunc finem norma una, quae tamen perplu-

ra alia continet, scl. « *tota quoque lex naturalis* » in qualibet materia, sed cum hoc addito restrictivo : in quantum respectiva materia habet *aspectum moralem*. Enumerantur in specie : quaestiones sociales, quaestiones politicae, quaestiones iuris nationalis et internationalis, quarum brevis etiam elenchus praebetur. Verba Allocutionis, quae ad rem faciunt, sunt haec.

18. « Contra ergo huiusmodi errores aperte firmiterque tenendum est: Ecclesiae potestas nequaquam « rerum stricte religiosarum », uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate ». (AAS. l. c. pg. 671).

18. « Haec fuit mens, haec sunt verba Sancti Pii X in eius Epistola Encyclica Singulari quadam diei 24 Septembris 1912: « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse ». Et statim communem hanc regulam in materiam socialem transfert: « Causam socialem controversiasque ei causae subiectas ... non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae autoritate, possint, quum contra verissimum sit eam (quaestionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam ».

Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quaestiones, sive mere sociales, sive socialespoliticae, quae ordinem ethicum, conscientias, salutem animorum spectant, ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo, etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte « religiosae », de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et so-

cietatem; de « Statibus totalitariis », quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis; de « totali laicisatione Status », uti dicitur, et vitae publicae; de plane efficienda scholae « laicisatione »; de natura ethica belli, de legitimo vel non legitimo bello, quale nostris temporibus geritur, et de viri religiosae conscientiae in eo adiutrici opera permittenda vel deneganda; de vinculis et rationibus ethicis, quibus Nationes mutue reguntur et tenentur.

Veritati rerum, quin etiam ipsi rectae rationi contradicit qui asserit haec, quae memoravimus, aliaque permulta eiusdem generis esse extra ordinem ethicum, ideoque esse, vel saltem esse posse extra potestatem Auctoritatis a Deo statutae, ut provideat iusto ordini, ut ducat et dirigat conscientias et actiones hominum recta via ad eorum finem ultimum; non sane « in abscondito » solum, intra parietes Templi et sacrarii, sed etiam, et multo magis, palam, nuntians « super tecta » (ut verbis Domini utamur) in ipsa acie, in media pugna saeviente inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter « mundum » et regnum Dei, inter principem huius mundi et mundi Salvatorem Christum ». (AAS., l. c. pg. 672-673).

20. Quod si quaeritur, curnam tota lex naturalis ad competentiam « Pastorum in Ecclesia » spectat: duplex ratio in Allocutione assignatur: altera petita ex *fine hominis* et ex *fine*, propter quem « *ductus et regimen Pastorum* » a Christo sunt instituta. Munus pastorum habet finem ducendi homines ad eorum unicum finem ultimum, et quidem via a Deo stabilita; quae via continet etiam legem naturalem; nam ea non observata, ad vitam perveniri nequit. Hinc pastores, si sunt competentes quoad viam, qua homines in finem procedere debent, sunt etiam competentes quoad legem naturalem.

Altera ratio sumitur ex *traditione*, quae ostendit: Apostolos et post eos Ecclesiam inde a primis temporibus hanc competentiam sibi vindicasse. Edocet Pontifex:

21. « Observatio legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesia semper

tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consiliarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini » (AAS. l. c. pg. 671-672).

22. Notum supponitur: *legem naturalem* exhibere normas ethicas, quae ex cognitis rerum, in specie creaturarum rationalium, naturis earumque relationibus essentialibus sive immediate innotescunt sive legitimo ratiocinio deducuntur. Hae normae possunt esse praeceptivae, prohibitivae, permissivae, consultativae, supererogatoriae; possunt esse de virtutibus et de vitiis. In sphaerae naturalis legibus positivis (in quantum contradistinguuntur a legibus naturae) ordinarie latet aliquid legis naturalis, et quoad hoc, si respectiva lex naturalis est praeceptiva vel prohibitiva, leges positivae vincuntur lege naturae. — Sub omnibus his respectibus lex naturalis spectat ad competentiam « pastorum in Ecclesiae »; dicitur enim a Pontifice: « *tota* legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in Ecclesiae sunt potestate » (AAS., l. c. pg. 671).

23. Est ex natura rei, quod functio « Pastoris » quoad legem naturalem intime iungatur cum functione « Magistri », immo haud raro in eam transeat; valeantque ideo sub hoc respectu, quae supra de Episcopis ut Magistris (seu de Magisterio Ecclesiae) notata sunt; sed cum addito, quod « docere » et « regere » hic extendatur ultra veritatem *revelatam* (seu « depositum fidei »), quoties scl. functio Ecclesiae versatur circa punctum legis naturae, quod non simul est obiectum « revelationis ».

24. Speciali attentione dignum est, quod in Allocutione effertur de talis Ecclesiae circa legem naturae functionis doctrinalis ac pastoralis *natura et efficacia.* Dicitur enim: in tali casu Ecclesiam non agere ad instar ducis et consiliarii privati, quippe qui profert quae natu-

rali intuitione vel ratiocinio invenit; sed ex mandato et auctoritate Domini, qui Ecclesiae suae semper adest, eiusque de lege naturae notitiae suam assistentiam supernaturalem adiungit, qua igitur Ecclesiae authentici Magistri et pastores ultra vim naturalis luminis rationis cum veritate iunguntur, ideoque fidelibus novum assentiendi et oboediendi motivum praebeatur, quod mere naturali lumini rationis non inest. Haec Ecclesiae per assistentiam supernaturalem fulta legis naturalis notitia non ab hominis privati de eadem lege notitia distinguitur, sicuti eiusdem veritatis notitia « reflexa » a « directa »; quarum prima exhibet notitiam veritatis simulque perspectam habet eius conexionem cum motivis ac rationibus quibus innitatur; altera solius veritatis notitiam praebet, nexu cum motivis non accurate cognito. Utraque enim haec notitia (directa scl. et reflexa) unice innititur et concluditur ordinis naturalis rationibus. At auctoritativa legis naturae per Ecclesiam propositio adnexum habet novum motivum et criterium veritatis, extra ordinem naturae positum, quod est assistentia Spiritus Sancti, qua Episcopi, authentici magistri et pastores, per se veritati iunguntur. Talis cum veritate coniunctio potest esse absoluta et infallibilis, potest etiam esse per se quidem certa, sed non absoluta et infallibilis. Intrant hoc loco quae in Theologia fundamentali exponuntur de Magisterii sive ordinarii sive extraordinarii auctoritate docendi, errore (absolute — per se, sed non absolute) excluso *.

---

* In hac quaestione tractanda confundi non debet Magisterii in actu docendi « effatum infallibile » et « infallibilis effatio ». Primum significat: id, quod Magisterium enuntiat, esse infallibiliter verum ac certum ex quacumque ratione; secundum significat: id, quod Magisterium enuntiat, habere infallibilem cum veritate connexionem, proprie quia pronuntiatur ab auctoritate, immuni in hoc actu enuntiationis vi assistentiae Spiritus Sancti, ab omni errandi possibilitate. Exempla: Si qui putarunt vel putant: sol-

25. Quae doctrina, applicata ad legis naturae per Ecclesiam propositionem, et ad obligationem fidelium inde resultantem, in Allocutione sic efformatur:

> « Cum agitur de praescriptis et sententiis, quas legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) in rebus legis naturae edunt, fideles non debent provocare ad effatum, (quod in sententiis privatorum adhiberi solet): « tantum valet auctoritas, quantum valent rationes ». Hinc, et si cui argumentis allatis ordinatio quaedam Ecclesiae non evinci videtur, tamen, permanet obligatio oboedientiae ». (AAS., l. c. pg. 672).

26. Haec norma Allocutionis unicuique statim patet quoad casus, in quibus Ecclesia in rebus legis naturae

---

lemnem in Litt. Encyc. « *Casti connubii* » (d. d. 31. Dec. 1930), abusus Matrimonii condemnationem esse infallibilem, hanc infallibilitatem derivare possunt aut ex ipso *actu* pronuntiationis, quam habent « definitionem ex cathedra », aut ex *re* pronuntiata, quia scl. Pontifex declarat se suis verbis pronuntiare id quod tota Ecclesia per saecula constanter et universaliter ut verum tenuerit et teneat; totius autem Ecclesiae docctrinam in re fidei vel morum — hi urgent — non posse esse falsam. — Vel: qui censent: declarationem Pii XII in Constitutione Apostolica « Sacramentum Ordinis » (d. d. 30 Nov. 1947) de unica materia ad validitatem ordinationis necessaria esse infallibilem, (cum absolute admitti nequeat: Ecclesiam in hac re posse duci in errorem; quia inde oreretur irreparabile damnum totius Ecclesiae), asserunt quidem: *id quod* hac Constitutione enuntiatur esse infallibiliter verum; non asserunt: esse infallibiliter verum, *vi huius enuntiationis Pontificiae*. — Vel: si in litteris Encyclicis « *Humani generis* » (d. d. 12 Aug. 1950) quaedam principia metaphysica (e. gr. rationis sufficientis, causalitatis, finalitatis, aptitudinis mentis ad verum cognoscendum) tenenda pronuntiantur, et si quidam dicunt, hanc litterarum Encyclicarum « pronuntiationem » esse infallibiliter veram, infallibilem certitudinem *rei pronuntiatae* asserere intendunt, non ita infallibilem certitudinem « pronuntiationis rei », quae « pronuntiatio » non fit per modum « definitionis ex cathedra », sed per modum usus Magisterii ordinarii.

Neglectus huius distinctionis quosdam auctores ad falsas conclusiones faciendas et ad otiosas obiectiones induxit.

sententias infallibili auctoritate edit; at eadem norma sensu vero et proprio etiam valet in decisionibus non infallibilibus, nexis per se, licet minore gradu et firmitate, cum vero. Nam quando Ecclesia via ordinaria suo munere Magistri (vel Pastoris) gradu non summo fungitur, fungitur munere « Magistri authentici » (« Pastoris authentici), quae vox hinc inde quoad unam tantum partem consideratur, cum sit ex conceptu suo bilateralis, denotando scl. simul in fidelibus correspondentem obligationem oboediendi; et quidem non tantum per sic dictum « silentium obsequiorum », sed insuper per positivum internum » assensum religiosum »; qui est : *assensus* (actus intellectus iudicialis) *religiosus* (quia praestandus ex motivo religioso, ex subiectione sub auctoritate religiosa, hierarchica, suffulta Spiritus Sancti assistentia), *internus* (intellectus necnon voluntatis) moraliter *certus* (non tantum mere opinativus vel dubius, sed talis qui correspondet motivis, quae prudenter errorem excludunt). Alii eundem assensum aliis terminis designant; loquuntur e. gr. de « assensu condicionato » vel de « assensu prudentiali »; sed, ita loquendo in re non differunt. — Quod in specie attinet ad pondus et momentum theologicum *Allocutionum*, in quantum sunt functiones *Magisterii ordinarii* ipsius Summi Pontificis, de hac quaestione ante duos annos in hoc folio periodico iam actum est, ideoque nunc sufficiat ad tunc dicta remittere (cf. *Periodica*, 1952, pg. 245-249).

27. Monitum Allocutionis, non licere ad sententias Magisterii de lege naturae editas applicare principium « *tantum valet auctoritas, quantum valent rationes* », quam apte et convenienter sit dictum, apparet ex tot articulis, libellis, conferentiis, foliis, etc. etc. de propositionibus legis naturae conscriptis, in quibus rationes intrinsecae « pro » et « contra » discutiuntur et distinguuntur, ut, iis approbatis vel reprobatis, sententia de-

finitiva de ipsis propositionibus seu de *thesi* feratur; nullo tamen modo inquiratur in « Magisterium ordinarium » Ecclesiae, et in argumentum, quod ex eius auctoritate, (independenter ab illis rationibus intrinsecis) peti potest et debet. Ad summum a multis ex auctoribus ratio habetur alicuius formalis et explicitae per Ecclesiam damnationis, vel decisionis quasi universalis et infallibilis. Ordinaria autem et quotidiana institutio ac catechesis per Magisterium Ecclesiae exercita, vix attenditur; eo magis abundat enumeratio theologorum et Moralistarum, qui ita et ita senserint et docuerint; perinde ac si, quod « theologi » dicant, praevaleat prae eo quod « ordinarium Magisterium » dicit. Iuvat quoad huiusmodi articulos etc. in memoriam revocare quod in prima parte Allocutionis habetur de relatione inter « theologos docentes » et « Magisterium docens »; quisnam alter alterius sit « magister », et quidem authenticus, ex Christi Domini voluntate. Ex altera parte oblivioni dari vel neglegi non debet: non omnia, quae docentur *in* Ecclesia, doceri *ab* Ecclesia. Allocutio l. c. agit de iis quae proponuntur *ab* Ecclesia, idest ab eius authentico Magisterio vivo.

28. Munus « pastoris », ut supra monitum est, secundo loco in sermone Pontificis consideratur sub respectu *personarum,* quae Episcopis ex institutione divina regendae et dirigendae sunt. Monetur, normas ab Ecclesia in variis campis « pastorationis » statutas, nil iuvare, nisi personae, quibus dantur, paratae sint ad eas acceptandas et opere exsequendas.

> « Quae modo locuti sumus de Episcoporum iure, utpote pastorum ovium gregis sibi cuique commissi, in omnibus, quae tum ad religionem tum ad leges morum et ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, subsunt cuidam censurae, quae saepe latenter et surde obmurmurat, nec debitum sibi firmum animorum assensum obtinent, idcirco etiam quod discriminis ple-

nam perturbationem adducunt alii hodierni temporis elatiores spiritus, quorum indicia hic plus illic minus patefiunt ». (AAS., 46 (1954) 673).

29. Requisitae huic fidelium promptitudini duplex impedimentum, hisce temporibus obstans atque in dies crescens, per verba Pontificis designatur, ut subiciatur examini, dignoscatur et pro posse tollatur: 1) erroneum intellectus iudicium circa « *conscientiam adultam* » atque correspondens voluntatis recussus; 2) *devia aestimatio* eaque innitens profunda multorum diffidentia atque *animi aversio* quoad Ecclesiae officium invigilandi conscientiis easque dirigendi secundum legem Dei.

30. Quoad *primum impedimentum* (falsus conceptus falsusque voluntatis affectus circa « conscientiam adultam ») in Allocutione primo exhibetur brevis eius descriptio, addita argumentorum synopsi, dein additur huius impedimenti ponderatio atque reprobatio. Verba sunt haec.

« Conscientia adeptae maioris personarum aetatis, quae magis in dies asseritur, efficit, ut nescimus quo aestu animi magis magisque agitentur et effervescant. Haud pauci huius aetatis, sive viri sive mulieres, Ecclesiae ductum et vigilantiam indignam putant gerendi se more, qui adultam addecet aetatem; non solummodo id dictitant, sed etiam penitus in sensu habent. Nolunt enim instar impuberum « sub tutoribus et actoribus » esse; volunt existimari et tractari ut adulti, qui sui iuris sint et ipsi sibi statuant quid faciendum quidve omittendum quibuslibet in adiunctis rerum. Proponat Ecclesia — ita illi loqui non dubitant — doctrinae suae dogmata, promulget leges, quae actioni nostrae praesint. Verumtamen, cum haec ad singulorum vitam referenda adhibendaque sunt, tunc illa abstineat neque ullo modo se immisceat; sinat suo quemque fidelem iudicio et conscientia se gerere. Idque asseverant eo magis ita fieri oportere, quod Ecclesiam eiusque administris plerumque latet certus definitusque status rerum, latent scilicet summatim sumpta rerum adiuncta, sive quae intima hominis sive quae extrinseca spectant, in quibus singuli positi sunt et in quibus consilium capere sibique prospicere debent. Praeterea nolunt hi omnes in supremo et intimo

consilio voluntatis suae ullum inter se ac Deum habere interpositum interpretem vel intercessorem cuiuscumque dignitatis et nominis sit. De hisce reprehensione dignis opinationibus abhinc duos annos in Allocutionibus, diebus 23 mensis Martii et 18 mensis Aprilis anno 1952 habitis, verba fecimus et eorum argumenta examinavimus. De pondere et momento quod adeptae « maiori aetati personali » tribuitur, recte asseritur: iustum et aequum esse adultos non debere regi sicut pueros. Apostolus de se ipso dicit: « Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli ». Non est vera educandi ars, quae aliam sequatur rationem et viam, neque est verus pastor animorum, qui alio intendat quam ut fideles sibi creditos provehat « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ». Sed aliud omnino est adultum esse et evacuasse quae sunt parvuli; et aliud, esse adultum et ideo non obnoxium legitimae auctoritatis ductui et gubernationi. Gubernatio enim non est quasi quaedam tutela infantium, sed ductus efficax adultorum in finem civitatis ». (AAS. l. c. pg. 673-674).

31. *Secundum impedimentum,* quod memoratur, constituitur multorum circa Ecclesiae officium conscientiis invigilandi diffidentia acuta. Impedimenti descriptio iam est exhibita in textu modo ex Allocutione allato. Additur positivae doctrinae verae brevissima allegatio, efferendo scl.: Ecclesiae circa conscientias a Christo institutam esse vigilantiam in fidelium utilitatem, ut scl. defendantur — saepe ipsis invitis — contra iudicii errores, contra voluntatis a recta via declinationes, contra passionum servitutem. Ideo imprudentur et contra sibi ipsis debitam caritatem agere, qui Ecclesiae manum et ductum in conscientia efformanda recusent.

« Quoniam ad vos, Venerabiles Fratres, non ad fideles, loquimur, cum in vestro grege huiusmodi germina et indicia apparere et crescere incipiunt, fideles admonete: 1) Deum constituisse in Ecclesia pastores animorum, non ut onus imponant gregi, sed ut gregem promoveant et tueantur; ductu et vigilantia pastorum in tuto poni fidelium veram libertatem; eos prohiberi a servitute errorum et vitiorum, firmari contra

incitamenta ex pravis exemplis et ex consuetudine malorum hominum orientia, inter quos esse et vivere cogantur; 3) ideo eos agere contra prudentiam et caritatem sibi ipsis debitam, si hanc Dei quasi protensam manum et certissimum delatum auxilium recusent ». (AAS., l. c. pg. 674-675).

32. Cum libens haec et fiduciosa animi ad ductum Ecclesiae affectio obiective permagni sit momenti simulque, teste Pontifice, hisce temporibus permagno exponatur periculo, iuvat allatis ponderosis verbis Pii XII adiungere gravia sui antecessoris Pii XI de eadem re verba, non quidem in genere et de principio dicta, sed applicata in specie ad illud Ethicae naturalis et christianae caput, in quo Ecclesia de conscientiis ductus et vigilantia, magis quam in multis aliis capitibus est necessaria, sed est et magis repudiata, scilicet ad *Ethicam matromonialem*. Inveniuntur haec verba in Litteris Encyclicis « *Casti connubi* » (d. d. 31. Dec. 1930), ante fere 25 annos scriptis, quando quoad matrimonium nasci, crescere, clam spargi coepta est haec falso intellecta, falso analysata, hodie dicta: « Ethica conscientiae adultae », « Ethica situationis », « Ethica perpersonalis » idest Ethica personae sui plene consciae et independentis iuris.

33. « Quod si in multis aliis ordinis moralis veritatibus locum habet, id tamen potissimum in his, quae ad coniugium pertinent, attendi debet, ubi voluptatis libido irrumpere in fragilem humani generis naturam eamque decipere et corrumpere facile possit; idque eo magis, quod ad legis divinae observationem, ardua interdum, eademque diu coniugibus experiunda sunt, quibus, ut rerum usu docemur, debilis homo quasi totidem utitur argumentis, ut a lege divina servanda sese eximat.

Quapropter ut legis divinae non fictio aliqua aut corruptio, sed vera germanaque cognitio humanas mentes collustret hominumque mores dirigat, pietati erga Deum eique obsequendi studio sincera atque humilis erga Ecclesiam oboedientia adiungatur oportet. Ecclesiam enim constituit ipse Christus Dominus magistram veritatis, in his etiam quae ad mores pertinent regendos ordinandosque, etsi in his multa humanae rationi per se impervia non sunt. Deus enim, quem-

admodum ad naturales religionis et morum veritates quod pertinet, rationis lumini revelationem addidit ut, quae recta et vera sunt, « in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint », ita Ecclesiam in eundem finem constituit totius de religione et moribus veritatis custodem et magistram; cui propterea fideles, ut a mentis errore et a morum corruptione immunes serventur, oboediant, et mentem animumque subiciant. Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo, ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur.

Quocirca christifideles caveant in his etiam, quae hodie de matrimonio circumferuntur, quaestionibus, ne suo se iudicio nimis committant neve falsa rationis humanae libertate, seu « autonomia » quam vocant, allici se sinant. Alienissimum enim est ab omni veri nominis christiano, suo ingenio ita superbe fidere, ut iis solum, quae ipse ex interioribus rerum visceribus cognoverit, assentiri velit, et Ecclesiam, ad omnes gentes docendas regendasque a Deo missam, rerum et adiunctorum recentium minus gnaram existimare, vel etiam iis tantum, quae per sollemniores quas diximus definitiones ea iusserit, assensum et oboedientiam praestare, perinde ac si opinari prudenter liceat cetera eius decreta aut falso laborare aut veritatis honestatisque causa niti non satis. Est proprium, contra, veri omnis christifidelis, sive doctus hic est sive indoctus, in omnibus quae ad fidem et mores pertinent se regi et duci sinere a Sancta Dei Ecclesia, per eius Supremum Pastorem Romanum Pontificem, qui regitur ipse a Iesu Christo Domino Nostro ». (AAS. 22 (1930) pf. 579-581).

34. Omnibus supra expositis diligenter perpensis, duarum Allocutionum ab Episcopos habitarum *thema*, nervus et nucleus, assignari potest, Episcoporum triplex munus (Magisterium, sacerdotium, regimen), in quantum hisce temporibus in « *vivae Ecclesiae vivo magisterio, vivo sacerdotio, vivo regimine* » attendi et adhiberi debet contra hodiernas quasdam eis oppositas, mentis et animi, aberrationes, tamquam contra « cuiusdam contagionis spiritualis indicia atque effectus ».

DE EUTHANASIAE LICEITATE

Status quaestionis

Nuper editus est liber « Morals and Medicine » a Dre. Joseph Fletcher professore theologiae pastoralis et ethicae christianae in seminario theologico episcopali civitatis Cambridge (Massachusetts) conscriptus.

In eo singillatim tractantur quaestiones de iure prolem vitandi, artificialem fecundationem, therapeuticum abortum, sterelizationem, ac euthanasiam inducendi.

Clarissimus auctor, qui insignis protestans theologus praedicatur, fatetur se scientificam, ad nova exempla, pariterque christianam explicationem proferre intendisse de moralitate quae in vita gignenda, servanda et amittenda subest ut medici, aegroti, pastores, omnesque quorum intersit invenire facile possint quaenam hac in re licita sint et illicita.

Enodationes sententiaeque Rev. Fletcher tanto eruditionis apparatu, tantoque studio comitantur ut mihi operae praetium visum sit, cum non omnia brevi unius articuli spatio attingi queant, rationes quibus euthanasiam licere contendit ad trutinam, pro viribus, revocare indeque patefiat quam longe solutiones quas praebet a vera christianaque morali doctrina aberrent et quam profundum sit vulnus quod multorum acatholicorum conscientia nostris temporibus, praesertim ad impetum scientiarum progressionis, sit miserabiliter perpessa.

Euthanasia ab auctore describitur: clemens, insanabilis aut desperati doloris, liberatio; actio deliberate e vita expediendi aegrotum qui acerbum mortiferumque dolorem suffert; theoria quae tenet licere, infirmum cum vel ob morbum vel ob senectutem vita ei utilis grataque esse destitit, occidi vel a se ipso vel per alios.

Inter euthanasiae fautores sunt: 1. qui voluntariam tantum euthanasiam propugnant, 2. qui tuentur involuntariam etiam euthanasiam, seu misericordem mortem omnium qui vel monstruosi vel sui impotes nati sunt; 3. qui liceitatem euthanasiae etiam involuntariae omnium qui Societati tantum oneri sint defendunt.

Fuerunt in Anglia qui anno 1936 conati sunt, frustra tamen, ut deputatorum congressus legem ferret quae euthanasiae praxim legalem redderet.

Idem alii obtinere conati sunt ab statu Nebraska anno 1937; et ab statu New York anno 1947. Haud minus quam 1776 medici hunc Statum rogarunt ut lege caveretur ne ipsi aliique euthanasiam adhibentes referrentur in reos ob praxim quae, quidquid de eius moralitate intrinseca sentiendum sit, praevalet in dies. Lex, quae habebat fautores tam « The Euthanasia Society of America » quam millia medicorum, erat praescriptura: 1. Ius erit omnibus qui morbo doloroso et fatali laborant quique ad maiorem aetatem pervenerint euthanasiam a competentibus magistratis impetrare, documento ab eis scripto et subsignato nec non rite attestato cui adnexum sit testimonium proprii medici de morbi insanabilitate. 2. Magistratus, hoc documento accepto, commissionem nominabunt a tribus compositam quorum saltem duo medici sint, quae rem penitus examinet et magistratus certiores faciat an casus lege comprehendatur atque aegrotus petitionis suae naturam probe cognoscat. 3. Si commissio affirmativum votum fecerit, magistratus aegroto facultatem concedent ut mortem sibi inferre liceat aut per se ipsum, aut per medicos, aut ope alius personae ab eo electae, aut per commissionem.

Dr. Fletcher, expresse, voluntariam seu ab aegroto electam euthanasiam propugnat etiamsi aliquot argumentis involuntariam etiam euthanasiam, saltem confuse, defendere videatur.

Nonnullae rationes quibus voluntaria euthanasia indirecte probari posse videtur.

Esse « felo de se » seu suicidium se inferre tam veterum est quam existentia hominum humanique doloris. Quaedam barbarae tribus — ait l. a. —, magna facilitate praxim se perimendi adhibent, quaedam suicidium irridentent; plures orientales religiones id ultro permittunt et suis caerimoniis fovent ut accidit in antiquis ' culturis ', — sit venia verbo —, populorum Mexico et Peru, in hinduistico continuo tradito ritu sic dicti ' sutee ' et in ' hari kari ' Japoniae. Philosophi graeci et romani in diversas de illo sententias scindebantur.

Utique judaismus et mahomadismus qui physiologicam vitam humanumque sanguinem sacrosancta considerant suicidio adversati sunt, sed neque Biblia neque Koran illud explicite condemnant.

Priores scriptores christiani, — l. a. prosequitur —, ut Chrisostomus, veterae legis rabinos sunt secuti; tamen multi extant patres qui illud certis in adiunctis, v. g. ad apostasiam vitandam aut virginitatis coronam servandam, concedebant. Verum tamen simul ac christianismus et romanum imperium se coniunxerunt, sui occissio strenue prohibita est. Augustinus docuit Sacram Scripturam nullibi hominibus facultatem dare se occidendi, dum S. Thomas asseruit suicidium esse peccatorum maximum.

Sed Protestantismus non concordat in eo condemnado et plures inveniuntur theologi protestantes qui dubitare coeperunt an fides tribuenda sit Hamlet cum ponit Aeternum suum canonem adversus suicidium affixisse.

Crisis praecedentium

Nemo non videbit l. a. ad scriptores et ministros scholae protestanticae liberalis pertinere, qui nullo pacto

veritatem, vel ob Dei auctoritatem, admittent parati ad quoscumque errores deglutiendos quos *Scientia* eis proponere velit. Scimus profecto commissa seu peccata non eo quod re ipsa, et forse saepe, committantur iam non esse peccata. Ut l. a. id exprimeret, abusus non tollit usum; nempe quae adversus moralitatis normam fiunt neque legem divinam aut naturalem abrogant neque ex iniquis in bona convertuntur. Quod v. g. barbara quaedam tribus parentes senes comedat, non probatur liceitas tam nefariae aberrationis moralis. Furta non probant licere furari.

Quae affirmat de primaevis christianis et scriptoribus ecclesiasticis suicidium permittentibus apostasiae devitandae aut virginitatis servandae causa, cl. a. falsa esse videret si animo adverteret eos, qui apostasiam vel stuprum horrebant, mortem quam subierunt nullo pacto intendisse, sed tantum, non obstante vivendi desiderio quo agebantur, eam tollerasse.

Quaedam auctoris rationes directae pro euthanasia earumque discussio

Jesu Christi dictum: « Beati misericordes quia ipsi misericordiam consequentur » adhuc — scribit l. a. — eminenter in Novo Testamento continetur et pars est legis divinae. Dantur quidem plures christiani quibus limes inter legem divinam et naturalem incertus esse videtur et qui ea quae gratia postulat iis quae natura requirit anteponere nolunt.

At vero si quid lex divina atque divina voluntas (prout has in Sacra Scriptura reperire licet) clare provident, id certissime est quinta beatitudo quae misericordiam praescribit. Quae si ethice consideratur longissime distat et a lege talionis semitici codicis propriae, et a naturae ferocitate.

Sed hoc argumento l. a. principium simpliciter petit. Missis iis quae de vero sensu huius beatitudinis dici pos-

sent, evidentissimum est Christum numquam probasse aut probaturum ' mala fieri ut eveniant bona '. Etiam l. a. admittit euthanasiam ad quamdam suicidii speciem esse reducendam. Dum igitur ipse non efficiat hanc suicidii speciem, quae est euthanasia, grave peccatum non constituere, ad legislatorem Christum misericordiam commendantem provocare nequit.

Aliam rationem affert l. a. pro euthanasiae liceitate. Mortem — ait —, Dni. Jonathan Swift mente volvamus. Is postquam per longam vitam insignes operas litteris anglicis reddirat, ab ea cessit morte horribili et ignominiosa tam sibi quam iis qui eum circumstabant. Scriptoris agonia octo annos protracta est eiusque praeclara mens sensim sine sensu omnino tacuit. Requirebantur quinque homines qui eum ab eruendo sibi oculum impedirent. Quodcumque mortis instrumento esse poterat, longe ab eo removeri debebat ne se occideret. Omnino est demoralizatus et ne vestigium quidem pristinae animi sui virtutis ei remansit. Manus sibi inferre cupiebat; perpetrare desiderebat id quod leges humanae suicidium vocant, quod ethica vitalistica peccatum censet.

Hic, sicut in tot similibus casibus qui nimis frequenter re ipsa dantur, demoralizationem habemus; id est, totalem morum eversionem atque spiritualem ruinam.

Age vero; heroes atque martyres, quicumque exquisitum moralem sensum habent probe sciunt certa adiuncta vitam hominis comitari in quibus vivere recusatur. Inter ea certe numeranda et psichica integritas et sui compotem esse: (self-possession, self-control). Utrumque acerbo atque fatali morbo penitus extinguitur.

Vitae nostrae terminus, — quaerit l. a. —, moralis sit oportet, vel amoralis, vel, quod peius est, immoralis? Morti nobis occurrendum est morali integritate praeditis aut demoralizatis? Qui morali condicione ornamur non caeca et immiti physiologia regi, sed mente propriique animi imperio nobis temperare debemus.

Quamobrem dolor necessario mortiferus et acerbus atque subsequens demoralizatio sunt quae, euthanasiam, praesertim a culpa liberant.

Quid de hoc argumento dicendum? Imprimis; si laethalis morbus rationis usum eripuit, si dolores aegrotum prohibent quominus penes se sit, is mortem eligere non valebit et exinde allatae rationes voluntariam euthanasiam non probabunt. Si vero aegrotus, non obstantibus acerbis morbi adiunctis sui compos manet numquam demoralizabitur nisi ipse velit. Quamplurimi semper erunt aegroti quos impavidos ferient ruïnae: omnesque gratia Dei adiuti ac comfortati acerbissimos quosque dolores morali integritate, strenue, tollerare possumus. Quodsi argumenti causa admittatur eam moralem desintegrationem quam l. a. tam nigris coloribus depingit mortiferam infirmitatem necessario consequi ut de liceitate euthanasiae constet, l. a. deberet prius probare Deum qui solus est vitae et mortis dominus, in hisce adiunctis facultatem hominibus sese e medio tollendi contulisse.

Nisi velimus ut moralitas hominem occidendi a labili et volubili humano arbitrio exclusive pendeat ita ut hostem, vel amicum, vel se ipsum in his vel aliis adiuntis interficere licitum sit cum singuli vel plures homines id licere existiment; admisso generali praecepto Dei Creatoris ' non occides ', ut nobis constet de liceitate euthanasiae in casu morbi acerbi et mortiferi prius effici debet Deum in hoc expresso casu eam derogasse vel hanc exceptionem suae legi adposuisse. Huiusmodi exceptio certe non invenitur in Sacris Litteris neque in documentis ab Ecclesia emanatis et quibus ius divinum authentice interpretatur. Sed neque ratio humana vel si mavis hominum conscientia et sinderesis pro certo habet Deum euthanasiam a lege ' non occides ' excepisse. Imo certo scimus *Dominum Nostrum* eam re ipsa non excepisse. Humana ratio, exspectata natura et positis omnibus euthanasiae adiunctis, incapax est definiendi et delimitandi in-

tra certos terminos et ambitum rationabilem suppositam legis generalis ' non occides ' exceptionem. Re vera; numquid homines determinare ratione possunt an et in quibus adiunctis, in quibus casibus, pro quibus morbis, involuntaria euthanasia iure applicari poterit? Num humana ratio in particularibus adunctis v. g. singulorum dementium vel monstruosorum etc. etc., recte iudicare valet illum singularem hominem censendum esse tamquam onus quod communitas non potest vel saltem non debet tollerare? Dubia in infinitum multiplicare possem.

Quod si tantum defendatur ut licita, seu excepta a legis generale prohibitione euthanasia voluntaria, numquid aegroti simul cum medico sunt capaces certo cognoscendi an morbus sit et quo pacto sit mortiferus, an sit sufficienter dolorosus (prostant in dies nova et efficacissima analgesica) an morbus moralem disintegrationem secumferet et quidem insanabilem atque quantitative et qualitative talem ut euthanasiam licitam faciat, an in casu, euthanasiae usus in malum commune, immediate aut mediate, cedet et, ut innumera alia dubia omittam, an aegrotus et medicus sola misericordia in hanc difficillimam rationis navitatem moventur? Quare exspectatis natura et conditionibus euthanasiae ex eo quod non constat Deum suppositam eius applicationem a prohibitione generali ' non occides ' subtraxisse, certum est « misericordem mortem » lege divina prohibitam esse ideoque, exspectata rei natura graviter illicitam.

Atqui c. a. certissimus est de liceitate abortus therapeutici. Si igitur exceptio a lege generali hominem non occidendo datur cum de vitae initio agitur, cur arguit, eam dari negabimus saltem aliquando ad vitae finem? Maiorem enim infamiam inesse non videtur in alio quam in altero casu. Imo euthanasia minores difficultates morales includit quia in ea moralis desintegratio adest hominis qui in vita subiectum fuit liberarum actionum, dum in abortu therapeutico tantum habetur physica mors foe-

tus qui semper cognitione et libertate et ideo moralis actionis capacitate prorsus caruit.

Ad hanc 1.am. instantiam primum dico: Magna extat disparitas inter euthanasiam et therapeuticum abortum. In hoc agitur de foetus occissione ad vitam matris servandam; dum in euthanasia intenditur extinctio unius vitae quae servari deberet, nempe vita aegroti. Quare etiamsi verum esset therapeuticum abortum absolute licere non ideo ex eo consequeretur etiam euthanasiam licitam esse. Quae l. a. addit de minori infamia euthanasiae quam abortus tam tenuissima sunt ut vel ipse auctor ea tantum ut possibiles congruentiae rationes insinuet.

Deinde: de liceitate therapeutici abortus haec animadvertenda sunt. Abortus therapeuticus, occissio nempe prolis non adhuc natae, occissione directe procurata atque intenta ut medium ad matris vitam servandam, prorsus illicitus est. Tam intendere quam (et multo plus) efficaciter procurare mortem humanae personae iam conceptae et nondum ortae violatio est illius iuris exclusivi Dei in hominum vitam. Abortus therapeuticus aequivalet malum facere ut bonum eveniat quod est illicitum. Si aliquis catholicus moralista permisit aliquando foetus occisionem cum eius vita in magno discrimine matris vitam ponebat, non id certo permisit quia putaret matris vitam morti foetus anteponendam esse, sed quia erravit putans talem foetus occissionem quae ei licita videbatur, non esse vel hominis occissionem, vel mortem foetus directe voluntariam: aliis verbis, censebat talem occissionem non esse abortum. Nullus catholicus moralista umquam existimavit Deum excepisse a sua lege generali ' non occides ' casum in quo ex probabili aut certo medicorum iudicio si foetus non removeatur, non occidatur, mater praegnas morietur. Foetus non potest esse obiectum quirurgicae operationis. Quod etiam ad casum praegnationis ectopicae applicandum est. In eo, matrem servare intendere vel curare directe foetus occissione aut remotione,

prorsus illicitum est. Sunt quidem pauci moralistae magni nominis qui in casu foetus ectopici non illicitam reputabant excissionem totius sacci foetalis, utpote, tumoris matri abnormalis et laethalis. Alii non improbabunt tamquam illicitum ligare quirurgice arteriam matris quae foetum sanguine alit queque, ectopico foetu sese evolvente, necessario disrumpetur cum consequente matris morte. At his opinionibus 1. nullo pacto adprobatur medicalis actio immediate directa in foetum; actio nempe qua quis intendat foetum occidere ut mater vivat; 2. in altero casu, scilicet de arteriae ligamine, agitur de vitanda morte matris quae iuxta medicos necessario sequetur ex fatale matris arteriae disruptione quae, moraliter loquendo, necessario evolutionem ectopicam foetus sequetur. In hoc casu habetur ligamen arteriae, (ergo nulla actio immediata in foetum), de se non malum ex quo *simul* consequitur et praeservatio certi periculi mortis, id est, vitatio mortis praegnatis matris quae in operatione propter se intenditur, et mors ectopici foetus quae permittitur. 3. In casu excissionis totius sacci foetalis duo vel tres auctores qui eam ut licitam censent, probare nituntur ibi etiam agi de morte foetus tantum indirecte voluntaria. Sed, ut patet nullus auctor umquam putavit licitum esse, ad vitam matris servandam foetum aliquando directe occidi posse. Omnes moralistae norunt media a fine numquam iustificari. Dr. Fletcher videtur concipere eam quam ipse vocat regulam duplicis effectus tamquam aliquod effugium, aliquam subtilitatem, aliquod iocandi medium quo moralistae catholici probant quod volunt aut quod eos Ecclesia docere iubet.

Certe clarum est, eum non bene callere huius principii naturam; eum non vidisse, moralistas catholicos ad eam recurrere ut recte iudicare et demonstrare possint an in generali quaestione de euthanasia et in particulari quaestione abortus therapeutici habeatur necne homici-

dium aut suicidium aut abortus aut martyrium aut actus heroicus aut morbi remotio.

Sed l. a. urget: medici ex America Septentrionali qui Congressum rogarunt ut legem pro euthanasia conderet asserunt hominibus inesse ius ad mortem quod abalienari nequit. Rem sic se habere eo comprobatur quod nisi eiusmodi ius (etiamsi limitatum et quodammodo imperfectum) detur heroes, martyres et omnes qui vitam pro nobilissima causa profundunt nequam agerent. Quod si obiciatur martyrium, (in quo mors secuta obiective, in se, considerata non est nisi effectus a victima per missus), omnino differre a suicidio quo quis ad dolores finiendos vitam sibi directe adimit, tunc quaestio recidit in quaenam motiva aestimanda sunt, de se sufficere ad propriae vitae iacturam excusandam. Si honestas et praestantia mortis quae obitur (v. g. ob innocentis defensionem et in genere propter amorem eorum quae eximia reputantur), ad eam iustificandum sufficit, admittatur necesse erit, motivum personalis integritatis moralis aestimandum esse dignum quod euthanasiam licitam reddat eo vel magis quod in ea, ex definitione, nulla sit spes remedii adversus demoralizantes cruciatus et nulla iam restet possibilitas qua aegrotus moraliter diruptus alios etiam per vitae protractionem iuvare valeat. Vitam aegroti inutiliter protrahere dum facultates morales cognitionis, libertatis, responsabilitatis et dominii sensuum et animi sacrificantur, est simpliciter moralem statum et naturam hominis oppugnare. In mera vita habenda insistere, non solum ea quae religionis sunt vel religioni expediunt sed etiam valores morales invehit. Etenim, ita analgesicis uti ut aegrotus rationis usu privetur, logice convenire nequit cum christiana agendi ratione. Catholici tenent rationis usum, cum homo in extremis versatur, esse maxime necessarium et meritorium tam sacramentorum causa quam ratione imminentis vitae futurae.

In his quae praecedunt c. a. multa insinuat et affirmat: nihil efficit.

Si enim medici Statuum Foederatorum Americae significare velint hominibus ius esse sibi mortem incutere quandocumque et quomodocumque eis placuerit tunc absolutum suicidii ius eiusque liceitatem postulant; sed auctor noster sufficienter excultus et christianus est ut neutrum admittat et admitti posse censeat. Si vero medici praefati solemni suo dicto — ut auctor intelligere videtur —, asserere velint ius hominum in extremis morbi fatalis et demoralizantis ad euthanasiam, tunc dicendi sunt hoc ius fingere non vero probare.

Quoad argumentum deductum ex heroum et martyrum gloriosa morte, dicerem, etiam auctorem esse persuasum neminem rectae conscientiae umquam sustinuisse eos dum martyrium subeunt sese perimere. E contra; ipsi euthanasiae fautores concedent eam esse veram (etsi iuxta aliquos licitam) aegroti occissionem quae ex parte aegroti eam cupientis est suicidium; ex parte medici eam inferentis homicidium constituit.

Quod si auctor cum e martyrii liceitate ad liceitatem euthanasiae arguit in mentem habuerit paucos martyres qui se sponte in flammas vel in mortem proiecerunt, sciat eos Ecclesiam, nisi ex omnibus mortis adiunctis infallibili suo iudicio censuisset Spiritum Sanctum, vitae dominum, ad mortem impulisse, fuisse reprobaturam. Si Dr. Fletcher retorquere velit omnes qui ad euthanasiam recurrent eodem ac martyres impulsu duci, faveat eius existentiam probare et moralem rectitudinem singulorum casuum confirmatae divinae inspirationis admittemus.

Ceterum firma solutione data, cum cl. a. dicit nos, dum ad mortem martyrum iustificandam recursum facimus ad notam distinctionem inter voluntarium directum et indirectum, quaestionem de eius liceitate reponere in aestimanda motiva quae sufficiant ad mortem a peccato

excusandam, supponit, vel logice supponere debet, tum mortem physicam cum dolorum et moralis desintegrationis vitationem duplicem esse effectum aeque simultaneum ab eadem causa dimanante. Sed immerito; nam dolorum intermissio et devitatio moralis desintegrationis (quae in *voluntaria* euthanasia *forse* sed *numquam necessario* exoritur) non simul habetur cum morte physica sed eam subsequitur tamquam proprius eius effectus; effectus inquam qui e morte necessario et certe profluit tamquam a sua causa per se; qui nisi prius mors aegroti efficaciter intendatur, neque exoptari neque obtineri potest. Quare velit nolit cl. a. saltem implicite media fine iustificari tuetur.

Praeterea, cum in Theologia Morali quaestio est de aestimandis rationibus propter quas aliquis nostrae actionis effectus aut nobis non imputabitur aut licite permitti potest, eo ipso is effectus pravus supponitur. Si auctor logica ducitur, admittit mortem physicam quae euthanasiam consequitur esse moraliter pravàm, seu ut ipse diceret immoralem.

Brevi: manente lege generali divina 'non occides' nec certo probato eutanasiam ab hac lege excipi cl. a. ut eam licitam proclamet recurrere tenetur ad principium 'mala fieri possunt ut eveniant bona' tam si admittit morte aegroti esse in casibus euthanasiae directe (immediate vel mediate) voluntariam, quam si contendit mortem esse effectum aeque simultaneum cum dolorum et moralis desintegrationis cessatione.

In priori casu quia evidenter illicitum est intendere et agere quod Deus prohibuit.

In altero quia numquam probari poterit et falsum est physicam mortem aegroti, (quae supponitur effectus moraliter pravus), aeque simultanee sequi ex inectione ac dolorum cruciatum et demoralizationis intermissione.

Quoad alia quae cl. a. addit animadverto: quod gratis asseritur gratis negatur; praeterea Theologia moralis catholica numquam habuit tamquam licitum immo-

deratum usum analgesicorum. Si ea adhibentur, (ut dominium utile quod homo habet vitae suae postulat), neque religio, neque ethica naturalis, neque aegrotus ullum detrimentum experientur.

LICEITAS EUTHANASIAE PROBATUR NE EX ACTIONE MEDICI EAM IMPERTIENTIS?...

Omnes conveniunt — inquit l. a. — homicidium esse inflictionem mortis homini ab alio, consulto patratam id est cum praemeditata malitia. Exinde Status Kansas — prosequitur —, contra medicos qui euthanasiam etiam voluntariam conferrent declaravit: « quicumque alium iuvabit in propria morte causanda reus erit homicidii et quidem in primo gradu ». Quae sentiendi agendique ratio communiter observatur ab omnibus Americae statibus adversus omnes qui euthanasiae procurandae cooperantur.

At tamen veri nominis moralistae — ita censet Dr. Fletcher — potius contenderent in medicali euthanasia magis adesse misericordiam quam praemiditatam malitiam. Sed iuxta legem civilem ad malitiam habendam sufficit deliberata intentio alium e vita tollendi. Quae cum re vera in actione medici aegroti mortem inducentis contineatur, medicalem euthanasiam in verum homicidium convertit. At vero lex etiam statuit omnibus licere iniustum aggressorem defensionis causa occidere. Cur — cl. a. quaerit — lex, euthanasiae liceitatem non admittet? Si quis obiecerit, cum de iniusti aggressoris morte agitur aggressum propriam vitam et tueri et servare eoque mortem aggressoris excusari, in euthanasia autem solam vitae extinctionem haberi, tunc l. a. emphatice denegat vitam humanam soli physicae existentiae aequivalere; vita enim haud est tantum spirare. Homo spirituali et morali animo non tam magni vitam, quam vitae condiciones aestimat. Heroes atque martyres expe-

rientia norunt, re ipsa, quaedam adiuncta dari, certas condiciones requiri in quibus aut sine quibus homo vitam et protrahere et servare recusat. Inter ea includuntur tum moralis integritas, cum sui compos esse. (self-control).

Si igitur lex decernit esse homicidam qui alium deliberato et praemeditato fine, *nisi excusetur*, occidat, patet in euthanasia medicali abundare motiva quibus mors aegroti iustificetur. Eadem reicere, sententiam vel theoriam pure vitalisticam implicat. Si ita fieret tunc lex ad vitam damnaret; aliis verbis, lex ut essemus, morale nostrum esse dirumperet.

Quiqumque moralia bona et (sit venia verbo), valores morales legalibus anteponunt, ut sunt medici, aegroti, pastores etc. numquam concedent malitiam sibi velle praemeditationem quae omnino abstrahat a motivo et fine actum praemeditatum inspirante. Iam vero; motivum et finis euthanasiae medicalis toto coelo differunt a fine homicidii delictuosi quamvis medium, — vitae suppressio —, sit in utroque idem. Nisi haec distinctio introducatur, qui v. g. ad filium educandum parce vivens compendium facit, non erit melior moraliter quam avarus qui misere vivit ut opes coacervet et undique conquirat. Reapse talis distinctio observatur cum medicus qui vi officii iuravit vitam aegroti servare, morphium vel analgesicum praescribit quod dolores sublevabit sed vitam praecidet.

Adversus haec omnia mihi adnotare liceat: nemo pro alio etiam eo petente agere potest quod ipse non potest per se. Dum igitur cl. a. non provaberit euthanasiam voluntariam licitam esse aegroto eam desideranti frustra eius liceitatem concludere volet ex liceitate actionis a medico positae.

Omnino non refert quo motivo medicus cooperetur aegroti morti aut potius eum interficiat nam, firma mortis illiceitate, finis non iustificat media.

Ultro concedendum est medicum qui e sensu mise-

ricordiae infirmum perimit non ita graviter peccare quam ille qui aegrotum ob odium interficit, nam nefarium motivum novam malitiam ab extrinseco addit actioni quae intrinsece ex obiecto prava est; sed nullus moralista veri nominis medicum ab homicidii scelere absolvet, nisi antea cl. a. probaverit licitum esse alium prae misericordia occidere.

Paritas quam introducit inter occisionem iniusti aggressoris a sese defendente factam et occisionem infirmi a medico effectam, nullo pacto tenet. Nam neque morbus est iniustus aggressor cum is sit eadem ipsa vita actualis aegroti neque medicus ullam huius vitam incolumem servare intendit. Moralis vita aegroti simul cum physica eius vita peribit. Medicus mortiferam iniectionem applicare intendens et applicans qua dolores et desintegratio moralis vitentur nequit, ratione, ad regulam duplicis effectus appellare. Tandem in medicali euthanasia agitur de supprimenda per alium vita propria; in iniusta agressione de suppressione vitae alienae.

Convenimus vitam non magis aestimandam esse quia physicam existentiam nobis praebet quam quod in ea et per eam bona moralia plurimi facienda, (ut divina adoptio etc.) consequi valemus, pariterque admittimus homines vitae conditiones pluris aestimare quam meram existentiam simplex vivere.

Adprobamus quoque homines propter Christi confessionem aut patriae bonum mortem indirecte voluntariam tollerare, amare, cupere; heroes et martyres iure merito malle vitam amittere tyranni vel hostium opera, quam apostatas vel captivos eam ultra servare; sed ex hoc non sequitur eis etiam licitum esse ob allatos fines mortem sibi metipsis per se vel per alios inferre. Moralis enim integritatis servandae causa potest quis licite facere vel omittere ea quae in se bona vel indifferentia sunt etsi praevideantur diminutionem vitae nostrae cursus effectu-

ra, at non mortem (etiamsi per euthanasiam) directe voluntariam sibi impertire vel procurare.

Sed illicitum est mortem sibi vel aliis inferre tunc tantum cum id excusari nequit, clamat Dr. Fletcher. Sit ita; sed l. a. numquam probare poterit desiderium dolores et moralem desintegratione vitandi euthanasiam quae verum suicidium est iustificare.

Euthanasiae liceitas petitur eo quod vita non sit sacrosancta.

Est communis religiosa sententia — ait l. a. — Deum sibi ius designandi humanae vitae terminum exclusive reservare. Ut D.nus Koch-Pasteur habet, euthanasia, Dei templum destruit et ius dominii Jesu Christi in vitam nostram violat.

Si haec divini monopolii theoria vera esset — prosequitur Dr. Fletcher — ex ea sequeretur illicitum quoque esse vitam, cum ob naturales causas ad finem adducitur, prorrogare velle. Tam adversus hunc naturalem determinismum se interponit qui remediis et curis vitam iam se extinguentem protrahit quam qui eam ad finem misericordia adducit antequam ea physiologicis causis amoraliter finiat. Divinum vitae monopolium, assumit, eam sacrosanctam esse. Atqui ut ait William Temple notio quae tenet vitam esse absolute sacram hinduistica et budhistica est.

Neque tamen hoc argumento l. a. aliquid efficit. Etiam ipse admittet Deum nobis vitae nostrae utile dominium dedisse id est : nos vitae usufructuarios fecisse qui ius et officium habemus eam proportionatis et licitis mediis conservandi, reficiendi, in proprium bonum administrandi, non vero destruendi. Inde liceitas curis et remediis utendi ea de causa ut, quantum e nobis pendere possit, vita protrahatur. Dum e contra cum mors per euthanasiam inducta a prohibitione generali Dei; ' non occides ,

non sit exclusa qui eam sibi conciscit, qui euthanasia utitur gravissime peccat.

Ad rem non pertinet an humana vita sit sacrosansta secundum hinduistas et budhistas. Naturalis ratio eam habet ut magnum Dei amoris bonum, et fundamentum et basis aliorum omnium beneficiorum e divina manu nobis provenientium: christiani eam sanctam reputamus quatenus per eam adoptivam Dei filiationem accipimus vel accipere et possumus et debemus.

Nihil ergo est quod euthanasiam repellere, determinismus aut vitalismus vocetur.

Argumentum pro euthanasia deductum ex mandato 'non occides'.

Catholici et protestantes fundamentalisti seu reactionarii — ita l. a. —, putant euthanasiam biblicum mandatum 'non occides' violare. Secretarius generalis societatis « American Council of Christian Churches » quinquaginta quattuor pastores denuntiavit qui petioni legis pro euthanasia suffragarunt affirmans eorum agendi rationem novo evidentique argumento probare clerum (protestantem) modernisticum, longius ab aeterna lege abscessisse. Praeter quam quod — addit cl. a. — quicumque bellum et mortis poenam excusant seu licita habent nequeunt vi quinti Legis praecepti euthanasiam condemnare, est animadvertendum versionem nostram verborum textualium mandati, haud rectam esse: textus ut accuratus esset reddi deberet: non homicidium facies, id est; non iniuste occides, non mortem contra legem committes.

At in Veteri Testamento iniuste, contra legem, occidere significat perfide, dolose, lucri privati causa alium perimere. Ceterum textus Novi Testamenti qui prohibitionem occidendi referunt, antiquae legis mandatum sanciunt et ratum habent.

Posset etiam in mentem theologorum Biblia constrictorum revocari, Sacram Scripturam Abimelech aliosque qui mortem sponte sua sibi, per se vel per alios, intulerunt minime condemnare.

Tandem — prosequitur Dr. Fletcher — conferantur praecedentia cum claro Christi mandato, « Beati misericordes quia ipsi misericordiam consequentur ».

Quae cl. a. de textus significatione verborum innuit fundamento caret. Verba hebraica quae affert desumpta ex Deuteronomio V, 17 et Exodo XX 13, generalem occidendi prohibitionem prae se ferunt; nihil eis significatur de occisione dolosa aut vindictae aut lucri privati causa. Prohibitio haec generalis in absoluto dominio fundatur quod secundum Scripturas Deus habet et retinet in hominum vitam. « Videte quod Ego sim solus et non sit alius Deus praeter Me. Ego occidam et Ego vivere faciam » (Deut. XXXII, 19). Cum ex textu et contextu Scripturae apparet Deum mortem dolose expresse damnare et contra, mortem v. g. inimicorum populi sui explicite approbare eo ipso scimus Eum illam occidendi rationem a lege sua generali excepisse aut secus. Sed in nulla parte Veteris aut Novae Legis invenitur Deum de sua lege in favorem euthanasiae derogasse.

Praeterea lex civilis mosaica specialem suicidii mentionem non facit quia nulla temporalis punitio poterat suicidae imponi; quod si aliquando Auctores Sacri nihil dicunt contra eum qui per se vel iuvante alio sibi mortem intulit, aliis in locis suicidium tamquam aliquid illicitum et criminosum reprehendunt; sic v. g. in 1. Reg 31, 4; II Reg. XVII, 23; II Mach. XIV, 41, Matth. 27, 5 etc.

Alia pro euthanasia argumenta?

Dr. Fletcher pro certo habet inter rationes propter quas euthanasia tamquam illicita reicitur arcessendum esse varolem meritorium doloris et morbi.

Illi — inquit — qui habitum mentalem theologicum cognoscunt, facile intelligent quo pacto quaestio euthanasiae affici potest visione Crucis quae in oeconomia gratiae simbolum doloris redimentis constituit.

Sed — exponit cl. a. — si haec ratio valeret analgesicorum usum reicere deberemus, nec ullam doloris allevationem quaerere liceret. Etiamsi significatione non careat christianismi signum imaginem esse hominis morientis, tamen si hoc exemplar incondicionate applicetur nomines iura theologica unicae Redemptionis et unam Crucis satisfactionem ignorabunt.

Multo certius bono animae erit atque magis humilitati conforme nostram facere normam beatitudinem « Beati misericordes ... » quae melius ad verum perducit misericordiam in qua nititur et e qua pendet Iesu Christi crucifixio.

Imprimis notetur velim cl. a. ita loqui de Sacra Scriptura, de persona Christi de Redemptione et in genere praecipuis religionis nostrae dogmatibus ac de quaestionibus cum eis intime connexis ut merito dubitari possit an christianismum cogitet nisi ut quoddam systema ethicum hominum disceptationibus patens. Deinde sicut non omnia quae licita sunt expedit facere, ita non eo quod aliquid fieri expedit, illicitum erit illud omittere. Quod dolores amore Dei pati in se meritorium sit, minime probatur nobis haud licitum esse medicamentis uti quibus ii allevientur.

Tam si licet quam si non licet analgesicis uti, nefas erit ex eo liceitatem vel illicitatem euthanasiae deducere, et hominis facultatem sese perimendi demonstrare velle. Si nonnulli catholici analgesicorum usum depecrati sunt et postea illum commendarunt vel permiserunt, sententiam non mutarunt quia sint misericordia moti aut quia media a fine iustificari umquam crederent. Quid? Sperat igitur Dr. Fletcher út etiam aliquando theologia moralis catholica comperiat euthanasiam non esse repro-

bandum suicidium? Id certissime non eveniet ob argumenta quae in libro suo profert.

Moralistae catholici numquam reputarunt analgesica in se moraliter mala esse. Si aliqui eorum analgesicorum usum reprehenderunt id adscribendum est persuassioni quam tenebant bona aeterna quae ab eorum usu impediri existimabant bonis terrenis esse praeferenda. Quamplurimi iure merito putant aegrotum meritorie agere cum ab analgesicis abstinet ut cum Christo compatiens etiam cum eo conglorificetur.

Cum contra euthanasiae usum adduci soleat eam discrimini esse et privato aegrotorum bono et bono publico cl. a. ita arguit: Abs dubio medici cum haud infallibiles sint et re ipsa aliquando errent nonnullis aegrotis euthanasiam concedent (vel eos ad eam damnabunt), qui in sanitatem restitui possent. Praesertim cum cotidie novorum pharmacorum inventiones fiant et ars medica novos in dies progressus faciat.

At vero — ait — etiamsi possimus de medicorum dictaminabus dubitare et medicum administrantem mutare, tamen eorum scientiae confidere debemus. Si eis communiter diffideretur actum esset de medicis eorumque arte. Praeterea etiam datis novis remediorum inventionibus numquam eveniet ut homo, vera mortifera infirmitate affectus, convalescat.

Sed his non obstantibus manet incommodum quo, docente experientia, multi aegroti misericorditer occidentur cum, re intra fines rogandae legis obiective considerata, licitum non esset eos e vivis expedire. Adde quod precisse quia infirmi probe sciunt medicos non esse infallibiles neque sese recuperandi spem vix umquam amittunt, semper uti probabilem iudiciabunt eorum morbum non esse insanabilem. Quo igitur iure (siquidem de voluntaria euthanasia loquimur) ii, medicum rogare poterunt ut eis mortem per euthanasiam impertiat quae tantum insanabilibus aegrotis conferri licet? Quaeri etiam

potest: eritne vel unus infirmus qui mortem sibi concisci petat nisi taedio vel odio vitae, sicut vulgaris quidam suicida, sit permotus?

Quod si cl. a. tueatur Statum licite aegrotis de medicorum iudicio certo iam morituris euthanasiam imponere, tunc difficultates contra liceitatem euthanasiae adhuc maiores fient. Primum, ipse auctor tenet ius ad vitam propria independens esse ab statu huncque nativum hoc hominum ius tueri debere. Deinde, si Status euthanasiam praescribere potest, consequetur hominum vitam pendere tandem aliquando a maioritate quadam votorum quae ignorantiae et passionibus, eo nimis, enormiter subiacetur. Tandem spectata natura humana eiusque constanti agendi ratione aegroti suspicabuntur (vel saltem merito suspicari poterunt), medicos, urgente Statu vel familia vel quolibet alio privati commodi motivo euthanasiam decernere cum nulla aderat ratio eam decretandi. Quare involuntaria legalis euthanasia et statui dabit potestatem cives ad libitum occidendi et ruina erit professionis medicorum. Quis enim graviter aegrotans nisi vitae sit pertessus medicum vocabit ut vel lege statali, vel familiae propriae suassionibus, vel medici errore, ad euthanasiam damnetur?

Sed cl. a., qui supponere videtur homines conceptum sat edonisticum vitae communiter habere, potius in eo est ut solvat difficultatem quae contra euthanasiam fit ex eo quod si licita esset multi aegroti, cum dolore cruciantur, euthanasiam vellent quamvis non insanabili et mortifero morbo afficerentur. Ideo ipse ad hanc difficultatem superandam ad quamdam ordinationem seu legem ab statu datam recurrit quae applicationem euthanasiae, his in casibus, prohiberet. Hoc effugio petitur et medicos signa mortiferae infirmitatis certo semper cognoscere posse, non obstante possibili et haud raro falsa proprii status manifestatione ab aegroto, et Statum providentia sua universali singulis tam multiplicibusque ca-

sibus particularibus providere etiam contra singulorum voluntatem posse, quod prorsus absurdum est.

Postrema argumenta a. ad probandam euthanasiam licitam esse.

Si quis obiecerit contra euthanasiam, eam, si licita esset homines esse inducturam ad dolores recusandos, et morales humanas vires nec non vitae aestimationem demissuram esse, l. a. fatetur haud facile esse sese ab hac difficultate extricare; tamen insinuat euthanasiae praxim maiores requirere vires, eam nempe animi fortitudinem qua formido mortis et metus incognitarum rerum devincatur. Nemo non mirabitur — pergit cl. a. — magnum animum cuiusdam Charlotte Perkins Gilman quae mortem sibi euthanasia inferre maluit quam ex cancro mori. Haec tenebat vitam in mutuo hominum obsequio consistere. Cum vita aliis utilis esse nequit, cum mors est certa atque imminens tunc D.na Charlotte — et auctor cum ea —, credebat inoxium atque elementale ius esse hominibus celerem dulcem vitae intermissionem repetere.

Sed communis universalisque hominum opinio indubie asseverat voluntariam euthanasiam meram esse ignaviam dolores perferendi. Neque auctorem multum iuvabit hanc dissimulare impossibilitate ulterioris obsequii ex parte infirmi. Etiam miserrimi quique, etiam horribili morbo perculsi, servitio et obsequio aliis sunt et esse possunt. Etenim saltem quicumque curam eorum exercent occasionem nanciscentur patientiam, caritatem, benevolentiam eis praestandi et tam de aegroto quam de humana familia bene merendi.

Tandem ad liceitatem euthanasiae probandam cl. a. frequenter in tota sua rei tractatione contra euthanasiae adversarios invehit inter alia affirmans v. g. si ea illicita sit tunc nos metipsos submittimus, quod ad mortem atti-

net, caecae amorali, physiologicae irrationali necessitati et pathologiae, quod nullo modo ad mores pertinet, nisi se submittere physicae ruinae et desintegrationi morali electio moralis vocari queat.

Nos, — scribit —, miro quodam mentis habitu ad mortem imponendam proni sumus sed nolumus eam permittere; a culpa absolvemus mortem cum ea humanam victimarum integritatem violat, sed eamdem carpemus aut condemnabimus cum voluntarie et rationabiliter eligitur.

Si mors non est omnino inevitabilis et a patiente non desideratur et est immitis, tunc eam ut moraliter bonam habemus; si prorsus inevitabilis est et libere electa et misericors, tunc eam moraliter pravam dicimus. Moralistae, praesertim catholici, parati sunt ad occisionem aliorum iustificandaum sed nullam rationem admittent qua cui vitam suam adimere liceat. Iis qui liceitatem euthanasiae reiciunt vitam physicam hominum tamquam summum considerant ac tandem inertia seu ignavia ethica efficiuntur.

Si euthanasia est suicidium clare praemeditatum et deliberatum, in eo praecisse eius ethica qualitas invenitur idque excusari et iustificari potest nisi lex ideam pure vitalisticam de natura hominis tenere velit. etc. etc.

Quae omnia vel sunt insinuationes aut repetitiones argumentorum quae exposuimus et explodimus vel sunt merae affirmationes quodam literario genere iteratae quae semper probationem et principium petunt: seu quae euthanasiam licitam esse absque ulla vera ratione proclamat. Ut finem articulo nostro imponamus liceat mihi adversus cl. a. quaedam ei ad hominem obicere. Posita auctoris mentali amplitudine atque iudicii latitudine abs dubio indulgebit in opinionem de cetero communissimam quae euthanasiam ut tam illicitam quam suicidium tenet. Age vero; si euthanasia saltem probabiliter est illicita, quaero: quomodo potest auctor eius praxim et medicis et omnibus quorum intersit et communibus lectoribus

commendare nec non tamquam probabiliter licitam proponere cum ea quae non fiunt conscientia certa, peccata, vel si ille mavult, prorsus immoralia sint?

Creditne cl. a. aliquam dari homini externam, obiectivam aeternamque moralitatis normam cui humana conscientia se in agendo conformare debet, quam investigare et cognoscere antequam agat teneatur? Quod si ita esse putat, censetne se, cum relative paucis qui credunt licitum esse euthanasiae usum, indubitanter argumenta invenisse certa quae liceitatem euthanasiae invincibiliter demonstrant? Non dubitabit Reverendus Dr. Fletcher, scripto suo, ingens malum sibi et aliis intulisse praedicans ut licitum quod ipse sua mentale amplitudine existimare debet saltem ut probabiliter immorale et quod revera incitamento est ad quintum Dei mandatum 'Non occides' gravissime violandum?

Michäel Fábregas S. I.

DE IURE ANGLICANO

Inter varias divisiones sectae anglicanae, sola ecclesia Brittaniae Maioris corpore canonum revisorum carebat. Ut consuleretur utilitati huius ecclesiae, Archiepiscopi Cantuariensis et Eboracensis commissionem ad ius ecclesiasticum reformandum constituerunt. Hoc opus revisionis quattuordecim doctoribus, quorum maior pars ministerium anglicanum exercebat anno 1939 est commissum. Praesidebat Archiepiscopus Eboracensis.

Ante inceptum laborem quaedam quaesita revisoribus sunt proposita:

1) quaenam sit vis obligatoria legum ecclesiasticarum ante sic dictam Reformationem vigentium;

2) quinam sit valor canonum anno 1603 promulgatorum;

3) quomodo sit procedendum ut leges adhuc vigentes secernantur ab abrogatis.

His ponderatis, commissio corpus legum ecclesiasticarum esse condendum simulque examini membrorum convocationum anglicanorum esse subiciendum statuit.

Anno 1947 apparuit volumen cui titulus est: THE CANON LAW OF THE CHURCH OF ENGLAND[1]. Hoc volumen, quod est fructus laboris a commissione impensi etiam *Relatio* vocatur, quia omnia continent quae convocationibus anglicanis erant referenda. Convocatio fere aequivalet synodo ecclesiasticae.

Praemissis quibusdam materiis quae totum opus conficiendum explicant, divisio Relationis hunc ordinem sequitur:

---

[1] London: *The Society for Promoting Christian Knowledge.*

1) caput praevium de potestate legifera in ecclesia;

2) brevis synopsis historica iuris tum antiqui tum novi;

3) ius anglicanum confectum post schisma Henrici VIII;

4) corpus canonum anno 1603 promulgatorum;

5) methodus sequenda in opere revisionis;

6) corpus canonum revisorum;

Terminatur Relatio brevi disquisitione facta de auctoritate praecipiendi formulas non propositas in THE BOOK OF COMMON PRAYER, qui ab anglicanis habetur tamquam compendium dogmatum, rituum et precum.

Anno currenti secundum schema canonum sub titulo, THE REVISED CANONS OF THE CHURCH OF ENGLAND FURTHER CONSIDERED [2], in lucem editum est. Omissis documentis accessoriis, includuntur in hoc schemate reviso tantum canones, ex quibus plurimi parum modificati, et pauci primo introducti convocationibus vel coetui laicorum submissi sunt. Ut speratur, collectio canonum tandem ab omnibus agnoscetur.

Manifestum est opus conficiendi hoc corpus canonum ingenti labori impenso in Codice Iuris Canonici condendo comparari vix posse. Etenim ipsa structura complexa et organizata Ecclesiae Catholicae una cum magno numero canonistarum qui studium assiduum impendebant ad Codicem perficiendum nusquam alibi reperiri potest. Candide confessa est commissio anglicana se imparem esse ad instrumentum iuridicum ex omni parte adaequatum conficiendum. Etenim magnitudo laboris, expensae solvendae et, quod maximum est, incertus eventus talis operae tot erant rationes quot a codice complexo praeparando anglicanos deterrebant. Praeterea forma codicis in aliis regionibus Europae late recepta displicet

---

2 London: *The Society for Promoting Christian Knowledge*, 1954.

iuristis anglis. Verumtamen non deerant anglicani qui codicem fere similem Codici nostro cupiebant.

Codex anglicanus leges vigentes non ex integro ordinavit. Manent quaedam antea ratae et quidem a tempore ante schisma expressis et cum consuetudinibus nunc vigentibus, vim suam retinent. Quod plura praescripta in codice anglicano conformia sunt principiis iuris naturae et principiis iuridicis a iuristis veteribus formulatis extra controversiam est.

De vi codicis anglicani obligandi voluntates baptizatorum nullus potest esse sermo. Nulla lex proposita ab eis qui primatum iurisdictionis Romani Pontificis repudiarunt ut valida haberi potest. Totum systema iuridicum anglicanum falso fundamento nititur nempe primatu iurisdictionis ecclesiastice in persona regis radicato. Perbelle S. Robertus Bellarminus refutat Iacobum Regem Brittanniae novum dogma filio suo proponentem: « Nec hoc solum, sed ex ecclesiastica et civili composita tua conditio est. Neque enim rex mere laicus est, ut Papistae et Anabatistae hallucinantur, cui errori etiam Puritani adstipulantur ». Incipiens cum S. Scriptura, S. Robertus errorem radicalem dirimit argumentis ex pluribus locis desumptis [3].

In decursu historiae gentium saepe legitur de territorio violenter ab hoste occupato in quo constituitur regimen *de facto* vocatum, quod lapsu temporis et discordiis extinctis transit in regimen seu gubernium *de iure* stabilitum. Talis vero transitus regiminis ecclesiastici concipi nequit in casu sectae ab Ecclesia Catholica avulsae. Secta enim haeretica qua talis nullo iure gaudet.

Quibus praemissis ad ipsam formam codicis anglicani redeamus. Relatio canonum anglicanorum, aliter ac noster Codex, non dividitur in libros, quod facile intelligitur. Etenim tota collectio constat tantum 134 cano-

(3) *Auctarium Bellarminianum*, Le Bachelet, p. 239.

nibus. Systematice ponuntur sub propriis titulis, quamvis ordo disponendi canones, saltem in aliquibus locis minus aptus censeatur. Plurimi canones in paragraphos dividuntur. Singulis divisionibus seu capitibus vel titulis, immo et canonibus praemittuntur rubricae ut apud nos vocantur. In codice perlustrando videntur vocabula in Codice nostro frequentissime expressa, v. g. Ordinarius, Episcopus, sacerdos, etc. Quae tamen conceptibus genuinis minime respondent. In multis, Ecclesiam Catholicam manifeste imitari vellent Anglicani.

Fontes iuris anglicani, inter quos enumerantur Decretum Gratiani, Decretalium libri et praescripta conciliaria mixta cum statutis civilibus et aliis ordinationibus post Henricum VIII latis, ad margines canonum ponuntur. Materia circam quam leges ferri possunt magis restricta est quam scopus disciplinae Codicis Iuris Canonici. Si quaestiones vel dubia oriantur de canonibus conciliandis cum iure canonico generali seu cum iuris principiis a tempore ante reformationem acceptis, Archiepiscopi Cantuariensis et Eboracensis, post consilium cum peritis in iure initum, iudicium definitivum ferent. Hoc statutum est in priore schemate. Utrum sit retinendum necne non apparet.

Tituli seu divisiones sequenti ordine materias disponit:

1. de constitutione ecclesiae seu sectae anglicanae eiusque doctrina fundamentali; de ritibus et caeremoniis; de regimine ecclesiae; de legibus, de obedientia, de primatu regis vel reginae et tandem de schismatibus seu divisionibus in ecclesia. Notare iuvat opus vocatum, The Book of Common Prayer passim in codice anglicano referri. Hic liber consistit in compendio doctrinae anglicanae quae includitur in triginta novem articulis fidei, ex quibus plures haeretici sunt. Pariter continet ritus, preces et alia quae substantialia anglicanismi efformant.

2. de cultu divino et de sacramentorum administratione. Duo tantum sacramenta ab anglicanis admittuntur, baptismus nempe et coena Domini, in qua communicantibus panis et vinum proferuntur. Nihilominus in hoc titulo seu capite, disciplina de confirmatione, de confessione peccatorum, de unctione et de matrimonio sequitur.

3. de iis quae ministerium anglicanum spectant, i. e. de ordinatione officiisque ministrorum necnon de eorum functionibus et vitae honestate;

4. de noviter instituto diaconissarum ordine earumque disciplina;

5. de ministerio laicorum, v. g. de lectoratu;

6. de suppellectili ecclesiarum et de rebus materialibus quae cum ministerio connectuntur;

7. de normis in tribunalibus agendi et de quibusdam causis quae ministros attingunt;

8. de synodis, de conventionibus et de conferentiis ecclesiasticis.

Ex titulis recensitis pauca tantum sunt electa ut quaedam animadvertantur de materia legis et de modo eamdemque exprimendi. Tota materia de poenitentia et de matrimonio concinne refertur.

Antequam sermo habebitur de obedientia superioribus anglicanis exhibenda, recolendum est principium, falsissimum sane, iuxta quod anglicani agnoscunt regem ornatum esse primatu iurisdictionis in rebus ecclesiasticis. Hoc principium explicite statuitur in Canone 10.

Iuxta Canonem 9 lex ecclesiastica obedientiam tum a ministris tum a laicis exigit. Violatio legis vel etiam omissio debitae diligentiae in eadem observanda et in foro civili probata ut transgressio habetur etiam in foro ecclesiastico. Idem canon declarat delinquentem puniri posse, habita ratione violationis et circumstantiarum casus. Ministri delinquentes poenis congruis obnoxii sunt, v. g. degradationis, deprivationis officii, suspensionis, mo-

nitionis. Laici vero a quovis munere ecclesiastico quo funguntur removeri possunt vel etiam a sacra communione pro tempore congruo arceri possunt.

Hic iuvat notare quod systema poenale ut in Codice Iuris Canonici elaboratum apud anglicanos ignoratur. Ratio praecipua est quia iurisperiti anglicani methodum sequendi decisiones in similibus casibus latas tenent ut principium iuridicum fixum et immutabile. Hinc a principiis poenalibus systematice expressis generatim abhorrent.

In secundo schemate novus canon de obedientia efformatus est. Non est numeratus ut maior pars aliorum. Secundum hunc canonem, quicumque electus fuerit in quodlibet officium ecclesiasticum declarationem obedientiae coram episcopo eiusve delegato praestare tenetur. In hac declaratione electus sollemniter asserit constitutiones canonesque ecclesiae anglicanae sive iam latos sive postea ferendos se fideliter servaturum.

Canon 68 exigit ut promovendi ad episcopatum obedientiae iuramentum praestent Archiepiscopo et ecclesiae metropolitanae secundum modum et formulam praescriptam in ordinali. Pariter ordinandi in praesbyteratum et diaconatum vel qui alia munera minora ecclesiastica suscepturi sunt, ad iuramentum obedientiae praestare tenentur erga episcopum diocesanum eiusque successores in omnibus quae sunt licita et honesta.

Cum haec decreta de re prorsus fundamentali agunt, ante descriptionem aliorum canonum eadem proponere opportunum duximus.

De confessione peccatorum ut novus canon proponitur. Baptizati, in quantum possunt, eorum vitam et conversationem sub lumine praeceptorum divinorum examinare obligantur. Quandocumque verbo vel opere se peccasse perceperint, de sua malitia dolentes et cum pleno proposito melius agendi, coram Deo se confiteri tenentur

ut ab Eo indulgentiam contritis corde promissam obtinere possint.

Dicta confessio potissimum fiat cum aliis fidelibus in unum coadunatis, et in absolutionibus a sacerdote tempore functionum sacrarum datis. Si quis, vero, hoc modo conscientiam suam tranquillam reddere nequeat, ministrum prudentem et doctum adeat ut consilium et absolutionem ab eo recipiat.

Canon 65. Sacerdoti infra biennium ordinato confessiones audire non licet. Qui confessiones accipit licentiam habeat aut implicitam vi officii aut expresse ab episcopo concessam.

Salvo praescripto praecedente, quilibet sacerdos confessionem cuiusvis in periculo mortis vel in aliis adiunctis gravibus et urgentibus constituti audire potest.

Si quis ad consulendum suae conscientiae et ad absolutionem recipiendam peccatum secretum sacerdoti aperiat, hoc secretum sic commissum nemini umquam reveletur.

Canones de Matrimonio. De natura matrimonii. In schemate altero codicis anglicani septem canones de matrimonio referuntur. Pendente approbatione, canones enumerantur modo provisorio, cuius ordinem hic non sequimur. De matrimonio prout est sacramentum silet codex. Habetur vero matrimonium ut contractum individuum et indissolubile. Praeterea si ritum servandum in matrimonii celebratione legeris, eius natura sacra abunde apparebit. Hic ritus in « The Book of Common Prayer » describitur, et in exhortatione ad nupturientes facienda minister declarat unionem matrimonialem significare unionem mysticam inter Christum et Ecclesiam. Ex ipsa sua natura, matrimonium est coniunctio unius cum una, omnibus aliis exclusis, quae duratura est ad mortem coniugum. Finis matrimonii est generatio et nutritio prolis; est sanctificatio instinctus naturalis; est in rebus tum prosperis tum adversis mutuum solamen.

De instructione sponsorum et de bannis. Minister in cuius ecclesia nupturientes volunt contrahere,eosdem de doctrina matrimonii et de necessitate gratiae ad eius onera implenda erudire debet. Num quid obsistat matrimonii celebrationi minister pariter inquirere debet. Episcopus loci vel Archiepiscopus provinciae, vel pro tota Anglia, Archiepiscopus Cantuariensis matrimonium sine publicatione bannorum permittere potest.

De impedimentis matrimonialibus. Pauca sunt impedimenta matrimonialia. Aetas, consanguinitas et affinitas ut dirimentia statuuntur. Ligamen et disparitas cultus quae vocantur impedimenta in textu anglicano nullam clausulam irritantem continent.

Aetas: nullum est matrimonium contractum a quolibet infra annum sextum decimum. Iure tamen nostro si anglicana, utpote baptizata et libera ad contrahendum, infra praescriptam aetatem, annum quartum decimum completum iam attigerit et nuptias cum viro habili inierit, valide contrahet. Subdita enim est legibus Ecclesiae Catholicae.

Qui infra annum vigesimum primum sunt, contrahere non debent, nisi ad normam iuris quod respicit consensum parentum vel tutorum. Nulla clausa inhabilitans exprimitur.

Consanguinitas et Affinitas: Nullum est matrimonium inter consanguineos vel affines ad normam graduum in elencho relatorum. In elencho personae potiusquam gradus enumerantur. Sic vir cum matre vel filia vel avia sua contrahere nequit. Iure Codicis vero inhabilitas inter consanguineos et affines latius quam in iure anglicano extenditur. Iure anglicano consobrini valide et licite contrahunt et inter virum et sororem uxoris defunctae nullum viget impedimentum affinitatis. Legens Canones 1076 et 1077 de validitate talium matrimoniorum facile iudicabit. De publica honestate silet lex anglicana.

De matrimonio non baptizatorum in ecclesia angli-

cana. Inconsulto episcopo, cuius iudicio stare debet, minister ne permittat ut in sua ecclesia celebretur matrimonium inter duas partes quarum neutra vel etiam una pars est non-baptizata. Hoc praescriptum per se non-baptizatis beneficium cultus anglicani denegare videtur.

Ligamen: Nullus minister permittat ut in sua ecclesia celebretur matrimonium inter personas quarum alterutra divortium a vinculo obtinuerit et cuius prior coniux vivat. De validitate secundi coniugii canon nihil dicit.

Aliter se habuit schema prius huius canonis. Nam si, matrimonio legitime soluto (i. e. ad normam legis civilis), episcopo una cum cancellario constet de nullitate vinculi sic soluti, ipse, suo prudenti iudicio, alias nuptias permittere posset. A qua provisione tres commissionarii dissentierunt. Fieri potest ut quaedam coniugia sic civiliter soluta sint vere nulla. Ecclesia vero anglicana nulla potestate gaudet talia declarandi irrita. Canon enim 1069 § 2 talem casum regulat.

Caeremoniae anglicanae suppletoriae: Post matrimonium legitime contractum coram officiali civili, minister, certior factus de libertate partium et de facto celebrationis, caeremonias anglicanas in matrimonio peragendas supplere potest, omissis publicationibus et adnotatione matrimonii.

De sepultura anglicana. Canon 47. Provisione facta pro sepultura, secundum ritum anglicanum, eorum qui intra fines curatus seu paroeciae anglicanae mortui fuerint, sequentes a sepultura religiosa excludendi sunt:

a) non-baptizati;

b) qui plene compotes sui manus violentas in seipsos intulerint;

c) qui ob grave et notorium delictum declarati fuerint excommunicati quin prius dederint signa poenitentiae de quibus aliquis testificari potest. In his casibus ritus ab episcopo approbatus adhibeatur.

Ad sepulturam Christianam quod spectat, crematio cadaveris licita censetur. Ritus sepulturae celebrari potest ante, inter vel post cadaveris cremationem sive in ecclesia sive in ipso crematorio.

Nisi iusta causa aliter suaderit, cineres corporis cremati in loco consecrato sepeliantur vel deponantur.

Si corpus secundum ritum anglicanum in loco profano sepeliendum erit, minister, ante ritum inceptum, sepulcrum benedicat.

De coelibatu ministrorum codex anglicanus non loquitur, cum tale onus ministris non imponitur secundum articulum trigesimum secundum religionis anglicanae. Iuxta dictum articulum, licet episcopis, sacerdotibus et diaconis matrimonium inire quia ipsis lex divina coelibatum non imponit. Notum est tamen, plures ministros anglicanos ut in vita spirituali melius proficiant a matrimonio abstinere.

Ordo diaconissarum Canonibus 84-86 regulatur. In ordinem diaconissarum mulier idonea admittitur per orationem et impositionem manuum episcopi. Diaconissae est curam feminarum, iuvenum, puerorum et puellarum exercere, tum infirmos cum sanos visitare, populum de rebus fidei erudire eumque ad sacramenta recipienda preparare.

Permittente episcopo, diaconissis licet legere, docere immo et praedicare in ecclesia, paucis exceptis quae sacerdotibus sunt reservata.

Quamvis vita religiosa apud anglicanos non floreat, congregationes tamen religiosae exemplar congregationum Catholicarum sequentes hic inde inveniuntur. De his obiter refert codex (in canone 85-2-a) cum exigit litteras testimoniales episcopo mittendas a candidata ad ordinem diaconissarum.

De usu linguae latinae. Canon 51. In locis quibusdam publicis, ut in aulis et universatibus, in ecclesiis universitariis et in collegiis, licet functiones sacras peragere in lingua latina.

Requiritur vi Canonis 58 ut candidati ad ordines sacros linguam latinam noscant. Ab hoc requisito episcopus gravem ob causam dispensare valet.

His paucis perlustratis concipi potest, modo saltem generali, quid sit ius anglicanum et quo se tendat. In multis praescriptis laude digna est disciplina anglicana, in aliis vero schismate et haeresi infecta prorsus reprobanda. Utinam talis labor a pluribus sincere susceptus reduceret eos ad illam unitatem pro qua oravit Rex et Legifer noster.

Iacobus Risk, S. I.

DE DONATIONE AD CAUSAM PIAM FACTA A NON BAPTIZATO CASUS "THEOLOGIAE PRACTICAE".

Homo quidam dives, stirpe et religione Judaeus, qui tempore belli refugium invenerat in quodam seminario sicque vitam incolumem a persecutione nazistica servaverat, ductus non quidem motivis supernaturalibus sed laudabili sensu humano gratitudinis in testamento legatum seminario destinavit, et jamjam moriendus filio suo, qui in Ecclesia catholica baptizatus erat, oretenus declaravit se summam pecuniae, partem haereditatis, eidem seminario cedere. Filius autem, testamento adamussim executo, summam pecuniae non seminario, sed Praefecto cuidam apostolico dedit; hic enim, laureatus in jure canonico, filium persuaserat se nullo modo obligari informi voluntate patris. Voluntas enim haec manifestata erat modo in jure civili invalido, et unicum jus quod in casu valet est jus civile. Primo quia subjectum voluntatis erat pater Judaeus, qui nullo modo subest legibus Ecclesiae, tantummodo legibus Status, et secundo quia motivum voluntatis erant rationes naturales, non supernaturales; de naturalibus autem non est Societatis supernaturalis Ecclesiae, sed Communitatis naturalis Status judicium ferre. Ita Praefectus. Num recte?

* * *

Primo aspectu casus videri posset sat simplex et « mere juridicus ». E contra ejus solutio pendet a solutione quaestionum quae immediate tangunt problemata difficiliora de ipsa natura Ecclesiae deque ipsa indole juris ecclesiastici, ut luculenter apparuit in momentosis discussionibus de causis piis motis in congressu juris ca-

nonici mense octobris anni elapsi 1953 Romae celebrato [1]. Hisce intendimus quaedam crisi peritorum submittere ad prosequendas discussiones, ut in votis erat ipsius congressus.

Quaestiones sunt speciatim tres:

1° Non baptizatus, disponens in favorem alicujus entis ecclesiastici aut « ad causam piam », num subest juri canonico, an tantummodo juri naturali et civili?

2° Dispositio, facta quidem in favorem alicujus entis ecclesiastici vel causae piae, non tamen cum intentionibus fidei supernaturalibus, sed motivis ordinis naturalis, num subest juri Ecclesiae, an tantum juri naturali et civili?

3° Num baptizati, qui exequi debent dispositiones hujusmodi non baptizatorum, ipsi legibus Ecclesiae tenentur, quidquid sit de jure ipsius non baptizati, an sequi possunt leges quibus ipse non baptizatus suberat?

* * *

1. De dispositione non baptizatorum in favorem entis ecclesiastici aut causae piae.

Mons. W. Onclin l. c. proponit sententiam juxta quam non baptizatus, quod attinet jura ejus disponendi de bonis suis, etiam ad causas pias, capacitatem ejus juridicam in hac re, valorem actuum quos in hunc finem ponit eorumque formam, regitur exclusive jure naturali et justis legibus civilibus. Jus canonicum sub nullo respectu se ad personam vel ad actus ipsius non baptizati extendit; valere incipit inde a momento quo Ecclesia vel

---

1 Cf. quod casum nostrum attinet praesertim R. Bidagor S. J., *Causarum piarum novae formae*, et W. Onclin, *De donationibus aut largitionibus ad causas pias a non catholicis factis*, in Actibus hujus congressus mox publicandis. Videas etiam elucubrationes hujus auctoris in: Ons Geloof, 27, 1945.

ens ecclesiasticum actu jura in bona vel circa bona a non baptizato oblata acquisiverit, non ratione cujusdam jurisdictionis super personam non baptizati, sed ratione jurisdictionis super bona et jura ecclesiastica. Hanc sententiam gravibus argumentis fulcivit. Etenim:

Arguendo a verbis Concilii Tridentini: « ... cum Ecclesia in neminem judicium exerceat qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus (Sess. 14 c. 2), afferentis verba apostoli: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? », concludit non baptizatos non subesse obligationibus canonicis, non frui juribus canonicis, non esse personas neque in ordine canonico neque coram ordine canonico. « Propter defectum baptismatis, obligationum et jurium canonicorum radicaliter sunt incapaces ». Canon 12: « Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt », et canon 87: Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum juribus et officiis ... » hanc conclusionem confirmant.

Sequitur Ecclesiam, cum nullam habeat in non baptizatos jurisdictionem, eos neque subducere valere a legibus civilibus. Can. 1513 § 1: « Qui de jure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, bona relinquere » tantummodo baptizatos exemptos declarat a legibus civilibus, non baptizatos non tangit neque tangere potest. Ut patet, leges civiles injustae, quae iura naturalia infidelis laederent, non valent, et certe injusta esset lex quae vetaret largitiones in favorem Ecclesiae vel ad causas pias, « quippe quae, cum personalitatem moralem Ecclesiae, divinitus fundatae, hujusve propriam competentiam denegaret, contraria esset juri divino ».

* * *

Principium fundamentale a quo sententia haec proficiscitur hodie ab omnibus admittitur, Ecclesiam nempe

non possidere jurisdictionem directam super non baptizatos [2]. Insuper certum est non baptizatum carere ea personalitate, qua homo donatur solo baptismate quaeque eum constituit plenum subjectum jurium et obligationum seu officiorum christianorum juxta canonem 87. Canon hic tamen non intendit neque intendere posset non baptizatis denegare omnem omnino personalitatem, etiam personalitatem naturalem et civilem, immo relationes frequentes quae existunt etiam ordinis stricte juridici inter Ecclesiam vel entia ecclesiastica et non baptizatos vel entia quae a solo jure naturali vel civili personalitatem habent, supponunt hanc personalitatem etiam in ordine juridico ab Ecclesia agnosci et necessario agnosci debere [3]. Certo Ecclesia non baptizatum, quem ad matrimonium cum catholica parte ineundum admittit, ut personam considerat [4]. Certo seminarium, contractum donationis cum homine Judaeo ineundo, hunc ut personam in ordine juridico habere debet.

---

[2] Cf. A. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis,* Mechliniae-Romae, 1930, p. 194-197; Gommarus Michiels, O. F. M. Cap., *Normae generales Juris Canonici I,* Parisiis..., 1949 [2], p. 347-349; F. M. Cappello S. J., *Summa juris publici ecclesiastici,* Romae, 1954 [6], nn. 275-276.

[3] Cf. Pietro Gismondi, *Gli acattolici nel diritto della Chiesa,* Capitolo I: *La personalità degli infedeli,* in: Ephemerides juris canonici, t. 2. 1946. 224-249; Pio Ciprotti, *Personalità e battesimo nel diritto della Chiesa,* in: Il Diritto ecclesiastico, t. 53, 1942, 273-276; Mario Petroncelli, *I soggetti dell'ordinamento canonico,* in: Il Diritto ecclesiastico. t. 53, 1942, 276-282.

[4] Etiam in hoc casu surgit quaestio analoga illi quam hic tractamus, sc. utrum leges civiles et speciatim impedimenta juris civilis valere pergant pro non baptizato qui matrimonium coram Ecclesia contrahit cum parte catholica. De hac quaestione et de controversia inter canonistas hac in re cf. W. Onclin, *De regimine matrimonii fidelem inter et infidelem,* in: Ephemerides theologicae Lovanienses, t. 10, 1933, 47-62. Auctor, sibi omnino constans, admittit non baptizatum obligari impedimentis in jure civili sibi proprio statutis, juxta principia quae etiam in simili quaestione de causis piis exponit.

Jamvero, ut quaestionem limitemus ad nostrum casum: a quonam jure non baptizatus habet capacitatem cooperandi cum finibus religiosis et caritativis essentialiter ecclesiasticis? Certocertius non a jure positivo civili; absurdum nimis esset contendere, illos tantum non baptizatos ad pias causas bona sua offerre valere, quibus a jure civili proprio concessum fuerit. Capacitas illa, quidquid sit de ulteriore determinatione seu ordinatione illius capacitatis a jure cvili, ipsa hoc jus praecedit et independenter ab illo existit. Num valet conclusio: ergo non baptizatus hanc capacitatem habet jure proprio, seu a jure naturali? Num eodem modo quo a jure naturali recipit jus disponendi de bonis suis in fines bonos et honestos, etiam recipit facultatem disponendi ad causas pias? Non mihi videtur. Si quis Ecclesiae et finibus stricte ecclesiasticis prodesse potest non tantum de facto sed ut juris subjectum, facultate juridica, hanc facultatem a sola Ecclesia accipere posse videtur. Jus enim naturae humanae proprium in quantum tribuit facultatem naturalem bene faciendi, sese extendit ad omnia opera bona naturae humanae propria et pervia, non ulterius. Si aliquis, etsi non baptizatus, valet seu juridicam capacitatem habet promovere et adjuvare exercitium cultus christiani et partes habere in operibus caritatis christianae, tunc capacitatem illam debet soli Ecclesiae christianae eamque in vel melius coram sola Societate hujus Ecclesiae possidet. Si Ecclesia non vellet accipere largitiones a non baptizatis oblatas, si jus canonicum invalidas declararet donationes non baptizatorum, num laederet *jus* aliquod infidelium? Jus aliquod dico naturale? Forte enim Ecclesia non potest tali modo generali excludere non baptizatos a partecipatione in operibus suis piis, at si non potest, id esset ea ratione, qua neque baptismum denegare posset infideli illud legitime petenti. Verumtamen sicut jus ad baptismum, si datur, certo non est jus *naturale* infidelis, at jus quod coram sola Societati superna-

turali habet immo ut ejus subjectum in fieri, ita etiam jus disponendi ad causas pias, si datur, non est jus *naturale*, sed jus quod a solo ordine juridico Ecclesiae seu a jure canonico derivatur. Haec capacitas ut jus proprie christianum in baptismate accipitur, et in canone 1513 § 1 non datur, sed declaratur pro solis baptizatis. Non baptizati tale jus proprie christianum non habent, sed eorum capacitas, si datur, fundamentum haberet in constanti praxi Ecclesiae, eos non respingendi a partecipatione in operibus suis piis.

Potius vero crederem, capacitatem hujusmodi universalem seu jus *positivum* aliquod infidelium disponendi de bonis suis ad causas pias non exsistere et rem forte ita concipi posse: jus canonicum personas in Ecclesia existentes liberas relinquit — nullo modo obligat — accipiendi oblationes ad causas pias etiam a non baptizatis, ut quotidiana praxi Ecclesiae constat. In hac capacitate vero accipiendi ipso facto continetur alia, communicandi nempe offerenti non baptizato capacitatem ad causam piam in singulis casibus. Si Ecclesia, saltem hoc modo, mediante scilicet corpore quodam ecclesiastico, non accipit et nullo modo intervenit, dispositio ad causam piam infidelis non existit et valore destituitur, cum ipse sola propria virtute sese supra ordinem naturalem elevare nequeat, etiam si nulla haberetur prohibitio legis civilis.

Est utique etiam non baptizatis jus *negativum*, quo a jure civili in dispositionibus de bonis suis ad causas pias impediri nequeant.

* * *

Addi forte potest argumentum « ad hominem »: lex quae vetat largitiones in favorem Ecclesiae vel ad causas pias, ideo dicitur injusta, quia personalitatem moralem Ecclesiae, divinitus fundatae, hujusve propriam competentiam denegaret, ideoque contraria esset juri divino. Revera haec ratio, qua talis lex semper et ubique et pro

omnibus injusta probatur, sola mihi videtur efficax. Si vero Status, etiam ubi de non baptizatis agitur, personalitatem Ecclesiae et competentiam ejus in materia causarum piarum agnoscit, sibi contradicere videretur, si propriam legislationem de donationibus, de testamentis, de legatis etc. etiam in causis piis, licet subditorum tantum non baptizatorum, urgere vellet.

* * *

Si verum est, capacitatem fundamentalem non baptizatorum ad causas pias niti ordine juridico solius Ecclesiae, ultro sequi videtur quis, quanam capacitate, cum quibusnam solemnitatibus, sub quibusdam conditionibus etc. enti ecclesiastico vel finibus ecclesiasticis prodesse valeat, esse quaestiones unice ad auctoritatem ecclesiasticam spectantes. Inconcussum manet etiam in hac sententia principium, Ecclesiam non habere jurisdictionem super non baptizatos. Auctoritas quam Ecclesia in casu exercet, non est jurisdictio super subjectum sibi subditum, non habetur ratione personae sibi subjectae, sed est jurisdictio super materiam de qua agitur, ut acute exponit cl. Onclin. Qui non vult baptizari sed tantum bona sua Ecclesiae offerre praecise non personam propriam, sed tantum res suas Ecclesiae submittit. Materia autem, et in hoc sententia mea differt, non significat bona materialia tantum quae offeruntur, sed actum totum juridicum circa haec bona exercitum, cum capacitas ad hujusmodi actum ponendum tota quanta ab ordine juridico Ecclesiae non baptizato communicatur. Neque affirmandum esse opinarem, Ecclesiam, dum hanc capacitatem ad causas pias communicat, ligari praescriptis et limitationibus forte in jure civili statutis. Quae statuuntur in jure civili de capacitate donandi, testandi, legata constituendi, fundationes erigendi etc. etiam in quantum non baptizatos respiciunt, natura sua non respicere possunt actiones hominum quae diriguntur ad fines qui ambitum

naturalem Societatis politicae excedunt. Non est auctoritatis civilis ponderare v. g. quaestionem, utrum praeferendum sit prohibere pericula donationibus mortis causa inhaerentia an relinquere hominibus libertatem etiam donationibus mortis causa cultui Ecclesiae prodesse. Proinde existimarem, etsi canon 1513 § 1 solos baptizatos exemptos esse declarat a lege civili in causis piis, tamen etiam non baptizatos ex natura rei his legibus non teneri, vel accuratius, ut magis pateat differentia in hoc cum baptizatis, Ecclesiam in accipiendis largitionibus ad causas pias a non baptizatis non teneri praescriptis legum civilium.

* * *

Juxta diversas sententias proinde diversa erit responsio ad quaestionem utrum valeat an secus dispositio informis patris Judaei in favorem seminarii. Juxta alteram sententiam dispositio non valet vi juris civilis neque a seminario coram judice etiam ecclesiastico validitas in ordine canonico invocari potest, cum non detur; juxta alteram sententiam dispositio non est per se invalida, saltem per acceptationem a seminario factam validitatem in ordine canonico obtinere potest.

* * *

2. De intentione seu animo requisito in dispositionibus ad causas pias.

Utrum ad constitutionem seu definitionem causae piae requiratur vel non requiratur animus seu intentio, eaque supernaturalis, est quaestio quae videtur aequaliter pro baptizatis et non baptizatis tractari posse, si « *supernaturalis* » illo latiori sensu sumitur quo vocabulo in sequentibus utemur. De cetero non baptizati, moti gratiis Spiritus Sancti praevenientibus, actus etiam entitative supernaturales elicere possunt, immo si desiderio

baptismatis perfectaque peccatorum contritione gratiam sanctificantem receperint ad actus et intentiones etiam meritorias faciendas nihil iis deest. Non igitur est cur in hac quaestione separatim de baptizatis et de non baptizatis agamus.

Hanc quaestionem autem statim, majoris claritatis gratia, in duas dividimus, quarum est prima: num ad constitutionem seu definitionem dispositionis ad causam piam requiritur animus seu intentio? et altera: num requiritur ad constitutionem seu ad definitionem dispositionis ad causam piam animus seu intentio supernaturalis?

Num requiritur animus seu intentio ad constituendam dispositionem ad causam piam? Respondeo omnino affirmative, nec credo aliquem vel per breve momentum de hac re dubitare, cum in hoc puncto difficultas problematis non consistat. Nimis enim evidens est, destinationem bonorum materialium seu temporalium ad causam piam pendere a voluntate, ab intentione, ab animo illius, qui de hisce bonis quovis modo ad causam piam disponit, immo destinatio illa cum hac voluntate seu cum hac intentione seu cum hoc animo convertitur, et nedum sit extrinseca dispositioni, haec intentio constituit e contra ejus elementum formale. Verum equidem est, quidnam sit *opus* pium vel non determinari oportere criteriis objectivis; opera pia talia sunt propria sua natura objectiva et non pia efficiuntur mediantibus intentionibus subjectivis, at aeque verum est, *dispositionem* ad causam piam primarie immo formaliter constitui voluntate quae legitime bona ad hanc causam refert, non autem ab aliquo elemento « externo » vel « objectivo » extra subjectum disponens existens. Hoc sensu certe — ni egregie fallor — distinctio inter corpus (bona destinata) et animum (voluntatem seu intentionem disponentis) et absoluta necessitas horum duorum elementorum ad definien-

dam seu constituendam dispositionem ad causam piam ab omnibus admittitur.

Num intentio supernaturalis requiritur?

Duplici sensu haec quaestio accipi potest, nempe utrum vel ipse animus qui in dispositione necessario habetur, destinandi nimirum bona sua ad opus pium, sit per se et ipse solus supernaturalis, vel praeterea adesse debent motiva ordinis supernaturalis, utputa religionis vel caritatis vel pietatis supernaturalis aut desiderium sibi ipsi procurandi salutem animae, etc.

Animus ipse destinandi res proprias ad causas pias abs dubio non est supernaturalis, si sic intelligitur, ut ad constituendam dispositionem ad causam piam necessaria sit voluntas seu intentio seu actus qui gratia sit informata. Si autem supernaturalis intelligitur omne illud, quod ambitum terrestrem et civilem, sphaeram societatis « naturalis » hominum excedit, et refertur ad ambitum illius communitatis, cujus origo, intima ratio existendi, vita maxime interna et propria, maxime essentiales operationes, ultimus denique finis sunt supra naturam hominis, tunc etiam dispositio ad causas pias supernaturalem dicendam esse mihi omnino videtur, immo non alio modo quo ipsa societas ecclesiastica supernaturalis vocari debet, ut de cetero fit in permultis documentis Magisterii [5]. Tota societas ecclesiastica supernaturalis vocatur non ideo sane, quod omnia quae ad illam societatem pertinent supernaturalia essent entitative, sed quia omnia, quae illius societatis sunt, etiam maxime mate-

[5] E multis unum textum formalissimum afferre sufficiat ex encyclica « Divini illius Magistri » Pii Papa XI: « Tres vero numerantur societates necessariae, inter se distinctae, et, Deo volente, congruenter copulatae, quibus quidem homo ab ortu suo adscribitur; harum duae, domestica nempe ac civili consortio, naturalis ordinis; ac tertia, Ecclesia nimirum, supernaturalis ». (31 Decembr. 1929, AAS. 22, 1930, 52).

rialia et humana, per se sunt instituta ut ordinem supernaturalem manifestent visibiliter et promoveant invisibiliter. Haec supernaturalitas, qua dispositio ad causam piam referatur ad exercitium religionis, cultus, caritatis catholicae Ecclesiae, animo disponentis seu elemento formali dispositionis necessario inest cum iisque identificatur. Qui disponit ad causam piam quamcumque, *necessario vult* contribuere alicui rei, quae *natura sua* nata est manifestare et promovere vitam supernaturalem, et hoc non velle idem est ac non disponere. Nec alia ratio afferri posset cur Ecclesia sibi jurisdictionem super dispositiones ad pias causas vindicaret, cum ejus jurisdictio limitetur objectis hoc modo supernaturalibus. « Quidquid est in rebus humanis quo quo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligitur propter causam, ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Christus jusserit, quae « Caesaris sunt, reddi Caesari, quae Dei, Deo (Mt. 22, 21) »[6].

Si quis igitur, baptizatus vel non baptizatus, catholicus vel non catholicus, bona sua operi pio in Ecclesia existenti et agnito offert et sic huic operi cooperari vult, supernaturalis modo indicato ejus dispositio dicenda erit.

In hoc quidem differentia habetur inter catholicos baptizatos et non baptizatos, immo inter catholicos et omnes, baptizatos vel non baptizatos, extra Ecclesiam catholicam versantes, quod si non ad aliquod opus seu institutum pium jam in Ecclesia existens respicit dispositio, sed prima vice erigitur v. g. hospitium pro pauperibus, nosocium pro aegrotantibus et infirmis et similia, vel si bona destinantur ad pauperes sustentandos vel infirmos

---

6 Encyclica Leonis PP. XIII « Immortale Dei », 1. Novembr. 1885, AAS 18, 1885, 166-167.

curandos in genere, tunc praesumptiones pietatis, sicut antiqui canonistae eas statuerunt, valent quidem pro catholicis, non autem pro iis qui extra Ecclesiam versantur, ita ut in dispositionibus ab acatholicis omnibus factis requiratur expressa voluntas cooperandi finibus ecclesiasticis ut ad causas pias factas fuisse constet. In his enim talis animus, nisi clare appareat, praesumi nequit, cum sit exceptio, non regula.

Num praeter hunc animum, qui cum ipsa dispositione ad causas pias ecclesiasticas convertitur, requiritur insuper intentio seu animus quae procedit ab aliqua virtute supernaturali, ut caritatis, religionis, pietatis etc., ita ut, si quis agit ductus motivis mere humanis, ut gratitudinis, amicitiae, consanguinitatis, sympathiae etc., actus ejus jam non constituat dispositionem ad causam piam?

Omnino concedendum est, dispositionem ad causam piam natura sua innuere ut talia motiva adsint quae vere supernaturalia dici queant, et rationes mere humanas, nedum inhonestas, naturae hujusmodi dispositionum non convenire vel illi esse contrarias. Ad existentiam autem dispositionis ad causam piam non videntur requiri intentiones supernaturales sensu stricto, neque rationes naturales immo inhonestae characterem dispositionis ad causam piam tollere possunt, *dummodo* integrum et intactum ejus substantiam supra descriptam relinquunt. Res non aliter se habet in hac materia ac in aliis institutis canonicis, ut verbi gratia in matrimonio quod ut quis valide contrahat, sufficit eum habere animum tradendi jus in corpus relate ad actus per se aptos ad prolis generationem, neque validitas matrimonii corruit quia contrahens non vult fines naturales hujus instituti vel contrahit ductus non rationibus huic instituto connaturalibus sed motivis diversis, forte inhonestis, dummodo substantialis voluntas tradendi jus ad corpus integra maneat. Et haec conveniunt cum natura objectiva institu-

torum in Ecclesia existentium. Sicut ipsa existentia operis pii in Ecclesia non dependet a rectis intentionibus et virtutibus illorum, qui nomine Ecclesiae illud regunt, nec opus pium ideo a jurisdictione ecclesiastica subtrahitur quia rectores agunt propter rationes minime supernaturales, ita existentia et jurisdictio ecclesiastica dispositionis ad opus pium non ab intentionibus bonis vel malis offerentis dependent. Sicut e converso qui opera profana peragit ductus rationibus supernaturalibus, nec opera nec actum suum in quantum fine operis determinatur subtrahit ordine et jurisdictione societatis naturalis [7].

In casu igitur nostro nulla est ratio dubitandi de vera indole dispositionis ad causam piam hominis Judaei, qui ductus humana gratitudine pecunias offert seminario, sed de cetero non cogitat de finibus supernaturalibus Ecclesiae. Sufficit eum non excludere fines illos ita, ut jam non velit dare pecuniam seminario.

---

[7] Optime, ut puto, J. VISSER, *De solemnitatibus piarum voluntatum*, in Apollinaris, 20, 1947, 59-136 exponit, piam voluntatem non determinari ejus relatione immediata ad Deum, seu absoluta ejus bonitate morali, sed relatione immediata ad societatem ecclesiasticam ejusque instituta, fines et opera. « Ratio cur aliquis actus jurisdictioni Ecclesiae in foro externo subiciatur, est religiositas quaedam externa, expressa in isto actu, qua etiam externe socialiter cooperatur ad finem Ecclesiae. Actus qui externe hanc religiositatem non prae se fert, vel saltem possibilitatem, ut ad illam determinetur, numquam est pius, quidquid sit de intentione disponentis » (p. 65). Etsi auctor mihi videatur magis quam par esset attendere exteriorem religiositatem actus — jus enim, sane *in* signis exterioribus, tamen *de* actibus internis, de intentione morali, etsi non de perfecta bonitate morali, judicat, et religiositas primarie huic voluntati interiori insit necesse est! — tamen omnino recte, meo saltem sensu, criterium ultimum discernens inter opera profana et opera pia in hac religiositate, sensu latiori sicut ipse exponit, situm esse opinatur. Quae idem auctor de charactere spirituali causarum piarum in traditione antiqua canonica habet (p. 76-79), bene illustrant quae de supernaturalitate piis dispositionibus propria supra exposuimus.

* * *

3. De dispositione non baptizati ad causas pias adimplenda ab haerede baptizato.

De obligatione adimplendi ultimas voluntates factas in bonum Ecclesiae canon 1513 par. 2 habet: « In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates juris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant ». Canon, in quantum est praescriptum positivum ecclesiasticum, solos baptizatos respicit, et relate ad eos praecipit primo ut ultimae voluntates, quae secundum principium enunciatum in ejusdem canonis paragrapho 1ª, valent si subjectum voluntatis est capax jure naturali et ecclesiastico, nihilominus redigentur ita ut etiam in jure civili valorem obtineant si non per se, ut esse deberet, hunc valorem etiam civilem jam haberent, quantum fieri potest; secundo ut quando redactio secundum praecepta juris civilis omissa fuerit, heredes, qui utique canonice tenentur exsequi dispositionem canonice validas testatoris, de hac obligatione moneantur, ad praecavendum periculum ne, ad solum jus civile attendentes, legitimam voluntatem testatoris non adimplerent. Quae positive hoc canone injunguntur sunt igitur duo: observatio solemnitatuum juris civilis et monitio heredum; cetera omnia immediate profluunt a fundamentali principio in paragrapho 1ª hujus canonis definito.

Sesundum rationes supra n. 1 expositos opinor, Ecclesiam ex natura rei etiam in accipiendis ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae a non baptizatis factis non ligari praescriptis juris civilis. Inde talis voluntas, saltem accepta ab Ecclesia, canonice valet et coram Ecclesia ab heredibus adimpleri debet, sive sint baptizati sive non, etiam si desint solemnitates juris civilis. Immo observatio solemnitatuum civilium in ultima volun-

tate in bonum Ecclesiae pro non baptizato non praescribitur canone, sed suadebitur plerumque prudentia.

Quid de monendis heredibus? Praeceptum non respicit ipsos heredes, sed exsecutores piarum voluntatuum eosque qui vi muneris vigilantiam super hanc exsecutionem habent, imprimis Ordinarios, et confessarios pro foro interno, qui utique semper sunt subjecti jurisdictionis ecclesiasticae, unde ex hac parte nihil obstat quominus praeceptum urgeatur etiam si agatur de testatore non baptizato et de heredibus non baptizatis. Si vero ratio praecepti inspiciatur, quae tota consistit in tuenda legitima voluntate pii disponentis (non in tuendis bonis ecclesiasticis! [8]), merito concluditur Ecclesiam hanc tutelam exercere intendere pro ultimis voluntatibus subditorum suorum, non aliorum, unde obligatio monitionis non videtur urgere in casu, neque quo ad baptizatos neque quo ad non baptizatos heredes monendos, saltem non vi juris positivi.

Si vero non baptizati, etiam in disponendo in favorem Ecclesiae, subessent legibus juris civilis, ut sus-

---

8 Cf. can. 1514, et praesertim Instructionem Congregationis de Propaganda Fide, anno 1807, *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide ...*, vol. I, Romae, 1907, n. 689; negatur petentibus facultas commutandi pia legata et oblationes: « Obstant siquidem generali huic concessioni gravissimae difficultates, ob quas S. Sedes facultatem hujusmodi absolutam et generalem numquam esse censuit elargiendam. Postulat enim imprimis jus naturale et divinum: jubent canonicae, civilesque ipsae leges: pluribus denique in locis studiose commendat Sacrosancta Synodus Tridentina, ut voluntates fidelium, facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, diligentissime impleantur, et in eos praecise usus, juxta modum conditionesque iis benevisas, pecunia inde obventa insumatur ad quos destinata fuit, neque in alios convertatur, etsi meliores utilioresque videantur; si secus fieret, fidelium voluntates, quae pro lege habendae sunt, fraudarentur, ipsique, magno cum Ecclesiae detrimento, a piis hujusmodi largitionibus retraherentur ».

tinet sententia et ipsa saltem probabilis, tunc omissio solemnitatuum in jure illo ad validitatem requisitarum nullam redderet dispositionem. Neque, ut mihi saltem praeplacet, ulla oriretur obligatio heredum adimplendi hujusmodi dispositionem sive ipsi sint baptizati sive non. In relatione supra laudata Mons. W. Onclin aliam solutionem quaestionis proponit, juxta quam heredes baptizati vi praecepti alterius partis can. 1513 par. 2 tenentur adimplere ultimam voluntatem naturaliter validam etsi jure civili invalidam testatoris non baptizati. « Vi hujus dispositionis, obligatione canonica tenentur fideles seu baptizati ad adimplendas ultimas voluntates certas omnes, licet civiliter informes, etiam quae ab infidelibus factae sunt, quae quidem, si valorem juridicum, neque civilem neque canonicam habeant, valorem naturalem tamen habent, cujus ratione legislator canonicus fidelibus obligationem canonicam imponere potest ». Ego tamen crederem potius, nullitatem juridicam alicujus actus, a jure civili legitime statutam in materia suae jurisdictioni et competentiae subjecta, ab omnibus contra omnes invocari posse, etiam contra Ecclesiam, seu, quod ad idem redit, mihi non clarus est conceptus alicujus actus seu dispositionis, quae ex supposito nulla est etiam in ordine juridico canonico, et tamen in eodem ordine gignere potest, naturali quadam virtute, illos effectus canonicos et juridicos, ad quos producendos caret praecise virtute juridico canonico. Actus, a competenti auctoritate legitime jure positivo nullus declaratus, est nullus etiam secundum jus naturale! Neque admittendum certo est ultimas voluntates jure positivo invalidas semper secumferre moralem obligationem heredum, sive justitiae sive alterius cujusdam virtutis, ut puta pietatis, illam adimplendi.

De cetero, altera pars can. 1513 par. 2 nullam obligationem imponit heredibus etiam baptizatis; nonnisi admonendos esse dicit heredes, de quorum obligatione

aliunde constat, quare ex illo canone argumentum sumi nequit relate ad quaestionem, quaenam sint illae obligationes heredum et quorundam [9].

* * *

Ex dictis sequitur quid in casu nostro de obligatione filii adimplendi voluntatem informem patris sit tenendum.

Si admittenda est sententia donationem informem patris non carere validitate coram ordine canonico, filius utique tenetur eam adimplere. Si e contra adhaerendum est sententiae dispositionem patris non valere in ordine canonico, secundum alteram sententiam nihilominus fi-

---

9 Plurimi quidem canonistae canonem 1513 par. 2 afferre solent ad probandam validitatem ultimae voluntatis absque formalitatibus juris civilis manifestatae et obligationem heredum exsequendi hujusmodi voluntatem. Ita verbi gratia G. VROMANT, C. I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus...*, Bruxellis, 1953[3], p. 144 scribit: « Quoad vim ultimarum voluntatum: 1. Canone 1513, par. 2, edocemur, etiamsi omissae fuerint formalitates civiles, ultimas fidelium voluntates suo valore non destitui atque onera in conscientia esse adimplenda ». Et ibidem: « Vocabulo quidem praeceptivo sed prudenti utitur Codex I. C. cum dicit « *moneantur* »; ne difficultates religioni forte nocivae suscitentur in foro civili ». Haec non adamussim tenori ac structurae canonis 1513 correspondere videntur, cujus logicam divisionem idem auctor p. 143 lucide exposuit. Validitatem dispositionis, etiam ultimae voluntatis, ad pias causas non dependere a jure civili et, ut per se inde est evidens, obligationem canonicam heredum adimplendi canonice validam voluntatem, prima paragraphus enuntiat; altera paragraphus ad evitandos conflictus cum foro civili ejus solemnitates servandos esse praecipit, et, omissis solemnitatibus civilibus, nedum cauta prudentia utatur legislator, obligationem heredum non tantum in memoriam revocari jubet, sed monitione speciali eaque praeceptiva (resp. Comm. Cod. 17 februarii 1930, AAS 22, 1930, 196) urgeri! Obligationem monendi non semper et ubique exsequendam esse non a legislatore, sed a theologia morali edocemur!

lius, cum ipse sit baptizatus, tenetur adimplere voluntatem patris, secundum alteram sententiam, quae mihi praeplacet, non tenetur. Rebus sic stantibus, videtur non posse urgeri strictam obligationem justitiae filii ad donationem informem patris exsequendam.

P. Huizing S. I.

DELEGATIO SACERDOTI DETERMINATO (c. 1096)

Petrus, parochus, post meridiem telegraficum recipit nuntium alicuius eventus, quo constringitur ut statim relinquat paroeciam, non reversurus ante meridiem diei sequentis. In loco non adest alius sacerdos.

Crastina die celebrari debet matrimonium inter Severinum et Helenam, ad quam celebrationem omnia sunt parata. Agitatus Petrus quaerit communicationem telephonicam cum conventu religiosorum non valde longinquo a paroecia. Laicus ianitor respondet hoc momento nullum patrem esse in domo, Superior ipse commoratur in alia civitate ubi praedicat triduum. Alii patres tamen tempore laudum vespertinarum certissime domi erunt. Qui nunc ut superioris vicarius communitatem regat, ianitor nescit.

Petrus scit se non posse delegare nisi sacerdotem *determinatum*. Non autem cognoscit patres conventus, nisi superiorem qui, si casus ferat, ipse venire solet ad auxilium praestandum in paroecia. Cum autem certus sit quod vicarius superioris absentis in hac necessitate urgenti aliquem patrem missurus est, hanc invenit solutionem. Scribit litteras ad superiorem supplentem, in quibus exponit casum et deinde prosequitur: « cum neque tu neque alius pater in conventu degens mihi noti estis, non possum nunc aliquem delegare; non enim haberetur delegatio facta determinato sacerdoti, prout canone 1096 § 1 requiritur. Propterea coactus sum alio modo procedere. Certus sum quod tu iam hodie vel secus cras mane missurus es aliquem patrem a te tunc designatum ideoque determinatum vel quod ipse venies. Matrimonium celebrabitur hora 10. Pater proinde iam

in domo paroeciali aderit hora 9. 30. Hoc momento verbis de praesenti "delego patrem qui nunc adest in paroecia ad assistendum" designabo sacerdotem *determinatum*. Igitur hora 9. 30 exacte, in loco ubi commorabor, conficiam documentum huius tenoris: ego Petrus ... delego nunc patrem qui assistendi causa commoratur in mea paroecia, ut tamquam a me delegatus assistat matrimonio hodie celebrando inter Severinum et Helenam. Faveas haec omnia patri, quem designabis communicare, ut ipse sciat se habere delegationem necessariam ad assistendum ». Deinde parochus vocat iuvenem eique iubet litteras deferre ad conventum. Alia die, mane, cum Antonius religiosus, a vicario mandatus, iam est praesens in paroecia, parochus in alio loco in scriptis hanc conficit delegationem « Ego, Petrus ... patrem, hoc momento praesentem in mea paroecia delego, ut assistat ad matrimonium inter Severinum et Helenam celebrandum ».

Quaeritur: utrum sit validum matrimonium, cui Antonius adstitit?

Canonis 1096 praescriptum, praecipue in quantum exigit sacerdotem determinatum, iam multis praebuit ansam dubiis. De ipso canone scripsimus in *periodica de re morali*, 1949, fasc. 2, et in *Monitor Ecclesiasticus*, 1953, fasc. 3. Vita humana cum sua infinita varietate semper novos iudicio canonistae subiicit casus.

Canon 1096, §. 1 statuit: « licentia assistendi ... dari expresse debet sacerdoti *determinato* ad *determinatum* matrimonium ». Lex igitur exigit et quidem ad validitatem, ut delegatio fiat *sacerdoti determinato*. Nihil tamen explicite statuit de modo quo sacerdos debet esse determinatus.

In « *Periodica* » exposuimus delegationi factae *determinato* sacerdoti opponi duplex delegatio, scilicet illa facta sacerdoti non determinato in sensu quod adhuc est *determinandus* sive ab alia persona, sive a causis con-

tingentibus, et illa quae est delegatio *generalis*. Delegatio autem generalis non est eadem ac delegatio facta pluribus simul. Habetur delegatio facta determinato sacerdoti si delegem Marium, sed etiam si delegem Livium et Sempronium et Sosimum, omnes tres. Sed non habetur delegatio facta sacerdoti *determinato*, si delegem omnes patres momento delegationis conventui S. Sabinae assignatos [1] aut si delegem omnes sacerdotes momento delegationis Bononiae domicilium habentes. Cum constet rationem huius invaliditatis non esse quia designantur *plures* (si duo vel tres possunt esse determinati, tunc *etiam* decem vel mille), alia adesse debet ratio. Nec etiam ratio est, quia sacerdotes tali modi designati non sunt *determinati* [2].

---

[1] Tunc tantummodo habentur plures sacerdotes determinati, etsi personae designantur *nota unica*, quae pluribus competit et proinde est nota communis, si haec nota unica adhibetur tamquam modus brevior loquendi, qui locum tenet indicationis personarum mediantibus notis individualibus, e. g. si parochus velit delegare Titium, Caium, Sempronium, omnes tres et loco nominum brevitatis causa dicit: tres vicarios cooperatores S. Ritae, sciens qui sint isti sacerdotes et quod non adsunt alii cooperatores huic paroeciae addicti. Eadem ratione delegatio facta ad omnes patres huius conventus esset valida, si parochus sciat non haberi nisi quattuor eosque personaliter cognoscat et hisce verbis intendit designare istos quattuor, quorum notas individuales (nomina et cognomina) etiam exprimere posset, sed brevitatis causa istos quattuor una nota simul designat. In hoc casu non adhiberetur nota communis, sed notae individuales breviter expressae. Quapropter si inter delegationem factam et assistentiam unus ex hisce quattuor patribus per alium substitueretur, nihilominus non iste novus, sed ille qui conventum reliquit esset delegatus. Cavendum est tamen ab huiusmodi delegationibus propter periculum incertitudinis.

[2] Contra hanc assertionem obiicere quis posset: ratio invaliditatis in casu est, quia huiusmodi delegatio est *generalis* et haec expressis verbis excluditur canone 1096, qui dicit: « exclusis quibuslibet delegationibus generalibus ». Respondendum tamen est, quod in canone verba « exclusis quibuslibet delegationibus ge-

Sunt enim vere determinati. Si quis post delegationem sic factam scire cupit qui nunc sint sacerdotes sic delegati, superior et quodlibet membrum communitatis S. Sabinae potest ei exhibere elenchum patrum, cum nominibus et cognominibus, accurate et absque periculo errandi compositum. Imo nec impossibile est, etsi forsitan longiorem et difficiliorem exigeret laborem, scire qui sint sacerdotes, qui momento delegationis factae habebant domicilium Bononiae. Et certe quilibet sacerdos hoc de seipso scire potest et postea iuridice probare, se hoc momento habuisse vel non habuisse domicilium Bononiae [3].

Ratio qua delegationes modo descriptae non sunt validae nequit esse alia quam haec. In hisce casibus ha-

---

neralibus » non addunt aliquid ad verba praecedentia: « dari debet sacerdoti determinato ad determinatum matrimonium ». Id quod statuitur ut ius vigens, iam totum continetur his verbis. Additio « exclusis quibuslibet delegationibus generalibus » non addit aliquid novum; non mutat ius verbis praecedentibus statutum, sed aliquid repetit aliis verbis. Et, ni fallor, non absque causa. Stilus seu syntaxis canonis requirit hanc repetitionem, ut adiungi possit exceptio, quae sequitur: « nisi agatur, etc. ». Si legislator haec verba inseruisset statim post « dari debet sacerdoti determinato ad determinatum matrimonium », haberatur periculum ut exceptio etiam intelligeretur de obligatione dandi *sacerdoti* determinato. Nunc exceptio clarius respicit *delegationes* generales, i. e. ad omnia matrimonia. Et reapse hic est sensus canonis. Canon permittit delegationes generales *quoad matrimonia,* si agatur de vicariis cooperatoribus. Haec interpretatio est pacifica. Etiam iste vicarius cooperator debet esse *sacerdos determinatus.* Quoad hanc determinationem non datur exceptio.

[3] Verum est quod in aliquo casu complicato dubium facti oriri potest circa aliquem sacerdotem, utrum scilicet habuerit vel minus hoc momento domicilium Bononiae. Sed huiusmodi dubium facti circa quamlibet indicationem oriri potest. Ipsum non efficit ut designatio non sit vera determinatio. Nullus canonista sane diceret indicatione domicilii non haberi determinationem personae, quia aliquando dubium facti circa domicilium alicuius personae viget.

bentur sane sacerdotes determinati *in aliquo sensu*, sed non habentur sacerdotes determinati *in sensu speciali et restricto*, quem haec verba habent in canone 1096.

Verba canonis 1096 « dari debet sacerdoti determinato » habere sensum *specialem* et *restrictum* e pluribus adiunctis deducitur:

1. quia, ut modo explicavimus, delegationes nota communi factae essent validae, si sufficeret *quaecumque* determinatio. Hae autem delegationes doctrina communi dicuntur invalidae;

2. quia secus etiam delegatio facta « sacerdoti quem tu eras mittes » esset valida. Nam omnes admittunt hanc delegationem esse validam et sufficientem, si ageretur de deleganda iurisdictione ad absolvendam a peccatis. Sed etiam haec delegatio, sicut quaelibet delegatio, requirit ut detur personae determinatae. Delegatio, sicut donatio et contractus sunt actus, qui aliquod efficiunt in alia persona, quae proinde debet esse determinata. Sed determinatio fieri potest a donante mediante actu futuro alius personae, e. g. delego et iurisdictionem do sacerdotibus, quos tu postea designabis; quos tu invites ad audiendas confessiones [4]. Non autem delegatio fieri posset Titio *aut* Caio; vel *alicui* patrum huius conventus.

Si autem priores delegationes sunt validae in delegatione potestatis absolvendi et proinde sunt factae ad *determinatas* personas, et invalidae si agatur de delegatione potestatis assistendi ad matrimonium, sequitur quod

---

[4] Huiusmodi delegationes in usu sunt ubique. Exemplum habetur statutum emanatum ab Episcopis Provinciae Ecclesiasticae Ultraiectensis, quae totam comprehendit Neerlandiam, quo conceditur iurisdictio ad audiendas confessiones cuilibet sacerdoti religioso, qui cum debita licentia proprii superioris religiosi causa ministerii sacri commoratur in alia diocesi quam illa in qua habet domicilium et in qua est ab Ordinario loci ad audiendas confessiones approbatus. Vide etiam delegationes quae habentur in cc. 522, 882, 883, etc.

canon 1096 non agit de sacerdote determinato *quocumque modo* et *in quocumque sensu,* sed de sacerdote determinato *in sensu speciali et restricto.*

3. Quia secus in canone 1096 verba « dari debet sacerdoti determinato » non constituerent aliquod ius, quod non iam viget natura ipsius delegationis et quod non iam vigeret si haec verba deessent. Hoc certe non facile admitti debet et insuper canonem nullus canonista sic interpretatur.

Sequitur quod non licet haec verba nimis materialiter applicare, utendo hac simplici ratiocinatione: « sacerdos in hoc delegandi modo est determinatus; ergo, delegatio est valida et satisfit exigentiis canonis 1096 ».

Semel demonstrato canonem 1096 uti verbis « dare sacerdoti determinato » in sensu speciali et restricto, utiliter investigandum est, qui sit iste sensus; qui sint exacti limites inter quos sensus verborum manet restrictus et circumscriptus?

In Ecclesia duo dantur modi, quibus viri potestate praediti hanc potestatem aliis possunt communicare seu dare. Hi duo modi, in iure canonico vigenti statuti et vitae sociali quasi inhaerentes sunt:

A. Modus qui consistit *serie actuum*: instituere officium; adnectere huic officio potestatem determinatam; officium conferre alicui personae. Illo primo modo potestas absolvendi sive a S. Pontifice solo, sive a S. Pontifice et Ordinario simul communicatur Caio, si ipse constituatur parochus S. Agnetis. B. Secundus modus consistit *in uno solo actu,* qui in iure canonico vocatur nomine specifico, scilicet: « delegatio » [5]. Hoc secundo modo

---

[5] Subdelegatio sub hoc aspectu non est nisi delegatio potestatis iam delegatione obtenta ab alia persona. A delegatione differt potius gradu, non modo quo fit. Tamen non omnes normae, quae valent pro potestate delegata, valent etiam pro potestate subdelegata.

potestas absolvendi a peccatis ab Ordinario loci communicatur Sempronio simplici sacerdoti, si ipse huic concedat facultatem audiendi confessiones in sua dioecesi. Prout communicatio potestatis illo vel hoc modo fit, potestas communicatione obtenta termino technico-iuridico vocatur aut potestas ordinaria aut potestas delegata. Modus communicandi secundus in iure designatur nomine speciali seu specifico: « delegatio; delegare ». Modus prior in iure non habet nomen proprium. Si velimus eum designare, debemus uti nomine generico, quod etiam comprehendit alium modum communicandi, scilicet potestatis « communicatio ».

In nostro casu agitur de communicatione potestatis assistendi matrimonio [6] quae in iure vocatur *delegatio*. Communicatio enim fit a parocho, qui nequit conferre aliquod officium, et personae, quae potestatem accipit absque aliquo officio. Delegatio *natura sua* exigit ut fiat ad personam *determinatam* [7], sed nihil refert *quo modo* haec determinatio personae fit.

Determinatio fieri potest multis modis:

1. *Demonstratione*. Haec est personae determinatio facta actibus, qui cadunt sub perceptione sensuum et qua designatur persona sensibus percepta et sensibus ab aliis distincta. Exempla huius demonstrationis sunt:

In loco ubi multi homines sunt congregati ut veniant tamquam servi digito designo aliquem et dico: emo hunc

---

6 Etsi potestas assistendi ad matrimonium non sit proprie potestas iurisdictionis, normae pro delegatione huius potestatis in iure statutae etiam valent pro delegatione potestatis assistendi nisi pro aliqua re speciali contrarium iure caveatur.

7 Propter hoc delegatio facta « Titio *aut* Caio » vel « alicui patrum huic communitati addictorum » invalida est natura rei seu *natura delegationis*. Deest subiectum cui potestas conceditur. Ad invalidas reddendas huiusmodi delegationes utpote factas non personae determinatae, non requiritur iuris positivi statutum.

hominem. Habetur homo determinatus. Item si hoc modo determino equum emendum.

In ecclesia ubi multae adsunt puellae, quia plura matrimonia sunt celebranda et multae assistunt curiositatis causa, vir unam earum ducit ad altare et sacerdoti declarat se velle hanc ducere; vel sacerdos interrogat eum: visne hanc puellam ducere uxorem? (eamque capitis motu indicat). In hisce casibus habetur persona determinata, etiamsi agentes et assistentes de cetero nihil sciant de his personis, neque nomen et cognomen, neque parentes, neque alia adiuncta personalia. Imo, hic modus determinandi personam inter omnes eminet simplicitate et efficacitate [8]. Ille semper adhiberi potest et potuit adhiberi in qualibet periodo historiae generis humani. Etiam in periodo in qua homines non habebant nomina et cognomina. In quolibet statu vita humana indiget aliquo modo determinandi personam. Matrimonia et alii contractus e. g. rerum permutationes iam iniebantur antequam homines instituerant culturam. Impositio nominis proprii est iam phenomenon culturae, etsi sat primitivae. Medium determinandi personas et res iam requiritur ad vitam naturalem ordinandam ante quamlibet culturam.

Demonstratio utpote directe cadens in individuum

---

[8] Dico: efficacitate sub aspectu *determinationis*. Potest, imo solet esse minus efficax et minus idoneus quantum ad *certitudinem postea habendam* de delegatione rite facta. Qui enim demonstratione determinat personam de qua nihil scit, ipsam hoc momento perfectissime determinat, sed facile contingere potest ut eam postea non distingere possit ab aliis. Et tunc impeditur adnotatio in documento et in libro authentico, ex quo multa sequi possunt gravia incommoda. Haec est ratio qua demonstratio in actibus iuridicis gravis momendi rarissime *sola* adhibetur. Parochus, qui ad matrimonio assistendum delegaret personam praesentem, de qua nihil scit nisi quod sit sacerdos, delegando eum verbis « te delego ad hoc matrimonium », delegaret utique valide. Habetur sacerdos determinatus. Sed communiter ageret valde imprudenter et graviter peccaret.

concretum et sensibus perceptum requirit praesentiam corporalem. Illa tamen etiam haberi potest ubi personae sunt sibi *moraliter* praesentes mediis technicis, quae non raro praebent possibilitatem percipiendi sensibus et distinguendi personas, ut est e. g. communicatio telephonica, qua personae se invicem cognoscunt et unus alteri dicit: delego te qui nunc cum me loqueris. Etiamsi de cetero persona esset ignota (quoad nomen, officium, etc.) [9].

2. *Designatione* mediante signo seu nota, sive simplici (parochus S. Agnetis de Urbe) sive composita (Marius Alfredi, natus Romae, die 25 Octobris anni 1936). In hoc determinandi modo adhibentur media quae excedunt ambitum perceptionis sensitivae et aliqualiter obtinentur abstractione seu opere intellectus. Exempla sunt: delego Marium Alfredi; delego parochum S. Agnetis de Urbe; delego avunculum sponsae; delego patres conventui S. Sabinae assignatos; delego omnes sacerdotes meae paroeciae addictos tamquam vicarios cooperatores; delego patrem hodie a superiore conventus ad me missum; delego patrem quem superior mittet; delego omnes sacerdotes qui visitationis causae commorantur in loco huius sanctuarii.

Omnes istae notae sunt, saltem aliqualiter, abstractae et proinde ex se *communicabiles*. Per se possunt demonstrare plures personas; hunc aut illum individuum. Hoc etiam valet de nomine cum cognomine simul adhibitis. Haec est ratio qua in rebus magni momenti non restringimus indicationes personarum ad indicationem nominis et cognominis, sed addimus alias circumstantias (locum et diem nativitatis, etc.). Nemo non videt huiusmodi circumstantiarum multiplicationem reddere talem notam complexivam semper minus communem ideoque securius determinantem individuum, sed eam semper remanere ali-

---

9 Etiam hic valet norma: hi modi sunt vitandi propter periculum incertitudinis postea habendae.

qualiter communem. Remanet possibilitas ut sit pluribus applicabilis. Attamen, in vita ordinaria, etiam iuridica, persona determinata iam habetur si exclusa sit *probabilitas* ut plures designantur et non requiritur ut etiam exclusa sit mera *possibilitas,* quae rarissime in vita verificatur [10].

Determinatio quae distinguitur a demonstratione (corporali) et quae communiter fit nota composita pluribus elementis, ut securius alii excludantur et sic habeatur vera determinatio, pluribus modis distingui potest. Pro recte solvendo casu nostro necessarium est attendere ad sequentem distinctionem et divisionem:

---

[10] In multis casibus determinatio fit aut perfectius redditur circumstantiis concretis, in quibus actus fit. Etsi ad eas non attendamus, ipsae tamen collaborant ad determinandam personam delegandam. E. g. parochus S. Viti Romae dicit: « bene, delego ut cras assistet avunculum sponsae ». Haec delegatio valida est, etiamsi sponsa habeat duos avunculos sacerdotes, quorum tamen unus ut missionarius commoratur in Indonesia. Evidens enim est ex circumstantiis omnes intendere avunculum qui adest in loco vicino. De eo enim sponsa locutus est cum amico, qui rem ad parochum detulit. Attamen enixe commendatur ut parochus semper prius petat nomen et cognomen sacerdotis propositi ab aliis et ad hanc praxim urgendam commendatur ut delegatio semper fiat in scriptis.

Item si parochus Tolosanus, postquam superior conventus eum scripto communicaverit se missurum esse patrem Dominicum Lefèbre, delegat patrem his nominibus designatum, habetur delegatio facta determinato sacerdoti, etiamsi in Gallia adhuc tres alii sacerdotes vivant qui eodem nomine et cognomine gaudent. Nam ex circumstantiis apparet parochum agere de hoc solo sacerdote, scilicet de quo scripsit superior.

In praxi multae delegationes fiunt modo in quo simul coniunguntur demonstratio et designatio nominibus vel aliis notis determinativis. Sic si parochus delegationem scriptam tradit personae delegandae praesenti, dicens: te delego ad assistendum; hic habes delegationem in scriptis redactam. In tali casu determinatio et delegatio valida huius personae praesentis iam habetur verbis prolatis et quae leguntur in folio non sunt nisi delegationis factae confirmatio.

I. Determinatio fieri potest mediante nota distinctiva quae personae delegatae inhaeret *independenter* ab actu alicuius causae contingentis (nisi forte valde remote, ad quem in praxi non attendimus), e. g. delego fratrem sponsae, sacerdotem.

II. Determinatio fieri potest mediante nota distinctiva, quae inhaeret personae delegatae *dependenter* ab actu causae contingentis. Hoc iterum duplici modo potest verificari:

A. Nota inhaeret quidem personae dependenter ab actu causae contingentis, sed effectus huius causae (ipsa inhaerentia) est factum in se notum, sive omnibus tamquam factum notorium, sive ipsi personae deleganti. In hoc casu factum cognoscitur et ut medium determinationis adhibetur non in quantum dependet a sua causa contingenti, sed in quantum est factum in se sumptum, e. g. delego parochum S. Agnetis in Roma; delego patrem Antonium, quem superior elegit et determinavit sicut heri mihi communicavit [11].

B. Nota inhaeret personae dependenter ab actu causae contingentis, sed effectus huius actus non est factum notorium neque factum in se notum personae deleganti; imo saepe nec ab eo cognosci potest. Hoc verificatur in casibus in quibus delegans sive omnino libere, sive cir-

---

11 In hisce casibus sacerdos non determinatur a parocho mediante actus superioris. Superior enim prius determinat. Deinde patrem Antonium praesentat parocho. Ipse nunc habet personam determinatam, quam indicat proprio nomine aliisque notis personalibus, quas ipse independenter a superiore scit inhaerere huic personae. Quapropter, formaliter loquendo et accurate, in tali casu parochus non delegat « sacerdotem a superiore electum et sic determinatum », sed delegat « Antonium », qui insuper est a superiore electum. Sed nunc actus superioris non est pars processus, quo potestas parochi pervenit ad Antonium. Electio superioris nihil aliud facit quam praesentare parocho sacerdotem, de quo disponere potest. Post hoc incipit processus delegationis, quo delegatur Antonius seu sacerdos determinatus.

cumstantiis coactus, determinationem personae *relinquit* alii agenti contingenti, cuius actionem determinativam non habet in sua potestate cuiusque actionis effectum seu exitum ignorat.

Hic determinandi modus (B), tres potest induere formas diversas:

1. Determino mediante actu *futuro* alius agentis contingentis: « delego quem tu cras eliges et mittes » vel « delego sacerdotem, qui cras hic veniet ».

2. Determino mediante nota aliqua communi multis, quia directe indicat coetum (multitudinem), cuius ambitus (personae quas continet) continuo mutari potest ab alio agente vel factis contingentibus: « delego omnes patres hoc momento conventui S. Sabinae assignatos; delego omnes sacerdotes hoc momento, hora scilicet 8, domicilium habentes Bononiae ».

3. Determino mediante actu *praeterito* alicuius agentis contingentis vel mediantibus aliis factis contingentibus, de cuius actus exitu vel de quorum factorum effectu nullam habeo notitiam certam: « delego patrem, quem superior hodie elegit et misit » cum ipse sim in loco alio nec sciam quem superior elegit (casus Parochi Petri); « delego sacerdotem qui nunc commoratur in mea paroecia » cum ego sim in alio loco et nescio utrum aliquis venerit neque qui venerit.

Nobis videtur canon 1096 verbis « delegatio dari debet sacerdoti determinato » excludere omnes tres modos sub B descriptos seu sub n. 1, 2, et 3. Canon sane non requirit ut sacerdos determinetur demonstratione seu indicatione corporali, quae fieri nequit nisi inter praesentes. Canon etiam admittit designationem mediante aliqua nota simplici vel complexa, etsi sit natura sua aliqualiter abstracta, e. g. indicatione nominis et cognominis aliisque circumstantiis concretis, quas competi personae delegandae delegans scit aut notorie scitur, et quae personam distinguunt ab omnibus aliis, e. g. parochus S. Agnetis

de Urbe; sacerdos qui nunc est in sacristia nostra et qui tibi dixit se esse sacerdotem quem sponsi invitaverunt ad assistendum ad eorum matrimonium, etc. Sed canon non tantummodo excludit delegationes, quae iam natura ipsius delegationis excluduntur utpote non praebentes personam concretam, cui potestas delegata conceditur et in qua inest post delegationem (*aliquem* patrem huius conventus). Excludit etiam alios modos, qui non excluduntur sola natura delegationis. Excludit scilicet omnes tres modos determinandi, quos descripsimus sub B, n. 1, 2, 3. Canonem excludere modos descriptos sub 1 et 2, pacifice docetur in doctrina canonica hodierna. Igitur non est cur hoc probemus. Canonem etiam excludere modum descriptum sub 3. nunc est probandum.

Pro hac nostra sententia tres afferre possumus rationes:

1. Modus determinandi sub 3. descriptus, eodem laborat defectu ac ille qui describitur sub 2. Delegatio facta « sacerdoti quem superior misit » a delegante omnino ignaro de exitu actus quo superior determinavit, eligendo et mittendo, utpote agens omnino extra delegantis potestatem et scientiam, et delegatio facta « omnibus patribus S. Sabinae nunc assignatis » eodem modo determinant personam ad quam delegatio fit. Absolute loquendo habetur sacerdos determinatus (vel plures determinati), sed non in sensu canonis 1096. Qui ergo propter verba canonis declarat hanc (secundam) delegationem esse invalidam quia non datam personae determinatae, consequenter etiam tenere debet illam (primam) esse invalidam. Canon excludere intendit delegationes factas mediante actione alius agentis, cuius exitus seu cuius effectus determinativus ignoratur a delegante.

2. Delegatio descripta sub 3. et cuius exemplum est casus Petri parochi, differt quidem ab illa, de qua est sermo sub 1. (delego quem superior mittet, in futuro), in ordine *temporis,* sed non in ordine *causalitatis.* Requi-

situm autem canonis, expressum verbis « dari debet sacerdoti determinato » respicere videtur causalitatem seu requirit sacerdotem determinatum ab ipso delegante (et non ab aliis praeter scientiam delegantis et omnino independenter ab eo). Hoc requisitum aeque modo deficit in modo descripto sub 1. et in modo descripto sub 3. In casu proposito Petrus delegationem dat sacerdoti aliquo modo determinato, sed non sacerdoti determinato ab ipso. Et hoc requirit canon, qui utitur verbis « sacerdoti determinato » in sensu restricto. Delegans debet designare et non designationem relinquere aliis agentibus, sive agentibus post sive ante delegationis momentum.

3. Si delegatio de quo sub 3. esset valida, quia agitur de sacerdote hoc momento determinato sed ab aliis, valida etiam esset delegatio facta a parocho, qui postquam statuit tria matrimonia determinata esse celebranda, scilicet feria IV, feria VI et Sabbato hebdomadae currentis et omnia hora decima, initio hebdomadae relinquit paroeciam et iniungit sacristano suo: tu tempestive quaeras sacerdotem, parochum vicinum vel alium si occasio detur et dic unicuique [12] ut hora 9,55 praesens sit in sacristia et quod ego his diebus hoc momento in scriptis redigam actum delegationis quam tunc peragam: « delego sacerdotem qui assistendi causa nunc adest in mea sacristia ». Tunc quidquid fit, assistens semper erit: « sacerdos determinatus ». Et ipse scit se esse delegatum

[12] Hoc communicare seu de delegatione facta certiores reddere sacerdotes ad quos spectat, necessarium est. Non tamen ut habeatur sacerdos determinatus ad normam canonis 1096, sed propter aliam rationem. Delegatio enim facta non habet effectum nisi personae delegatae sit aliquo modo communicata et, saltem si non fit ad subditos, nisi acceptetur. Sufficit acceptatio implicita, quae e. g. habetur si sacerdos, certior redditus de delegatione facta, vi huius notitiae ea utitur. De necessitate communicationis et acceptationis scripsimus in *Ephemerides Iuris Canonici* Vol. V (1949), n. 3-4 et Vol. VII (1951) n. 3-4. Vide etiam VLAMING-BENDER *Praelectiones Iuris Matrimonii* [4], p. 418.

ad assistendum. Non videtur tamen hanc delegationem esse ad normas canonis 1096 factam « sacerdoti determinato » [13].

[13] Quaestio quae in hac nostra materia meretur attentionem est: utrum delegatio potestatis assistendi, de qua agunt c. 1095 § 2 et c. 1096, admittat illam formam delegandi, quam delegatio potestatis ut sic certe admittit et quae in deleganda potestate audiendi confessiones in usu est. Agitur de delegatione quae fit actu nunc posito sed qui virtualiter operatur tempore futuro. E. g. Ordinarius loci hodie perficit actum delegationis: « delego seu concedo facultatem audiendi confessiones in ecclesia sanctuarii, « Madonna dell'Arco » nuncupati, omnibus sacerdotibus qui, a propriis Ordinariis rite approbati, actu commorantur in loco sanctuarii ». Delegatio ut actus fit die 5 Iunii 1940. Tamen nisi revocetur vim suam exserere pergit per omnes annos sequentes. Ita ut personae qui temporis actus non adhuc erant capaces potestatis delegatae utpote non adhuc sacerdotes, nunc, anno 1954 vi huius delegationis obtineant iurisdictionem, si visitent dictum sanctuarium. Hoc fit virtute actus delegationis olim peracti, sed virtute persistentis et semper operantis.

Ni fallor, quaestioni utrum Ordinarius loci simili modo delegare possit potestatem ad assistendum ad matrimonia determinata, omnes respondebunt in sensu negativo. Et recte! Quare autem sic est respondendum? Per se hic modus delegandi non magis repugnat potestati assistendi ad matrimonia quam potestati audiendi confessiones. Ratio quaerenda est in praecepto iuris *positivi*. Nec quidem ratio potest esse: quia huiusmodi delegatio nequit dari ad *determinatum* matrimonium. Nam primo, quaestio etiam moveri posset, si in iure positivo non fuisset statutum quod delegatio dari debet ad determinatum *matrimonium* et solummodo fuisset statutum quod dari debet determinato sacerdoti.

Sed insuper, huiusmodi delegatio revera potest dari ad determinata matrimonia. Parochus potest hodie actu delegare: « delego ad matrimonium inter Severinum et Helenam, die 7 Aug. celebrandum, quemlibet sacerdotem, qui in paroecia aderit hac die et a sacristano meo invitatur ». Haec delegatio a delegante concipi potest et effici eoden sensu ac illae delegationes, quibus delegantur sacerdotes ad audiendas confessiones in aliquo loco, scilicet ut nunc *actu* fiant, sed vim exserunt tempore *futuro*, quando aliquis sacerdos est circumstantiis determinatus. Et tunc haberetur delegatio data sacerdoti a sacristano *determinato*, et non data sacerdoti a sacristano *determinando*.

4. Etiam finis legis requirere videtur ut sacerdos delegatus sit determinatus a delegantis actu determinativo et non ab actu determinativo alius causae praeter delegantem agentis. Nam tunc per se delegans non scit quem delegavit et proprie propter hanc certitudinem in tuto ponendam lex videtur statuta.

Conclusio: mea sententia invalidum est matrimonium in casu Petri Parochi et Antonii religiosi vi electionis vicarii designati, cum delegatio non sit data sacerdoti determinato in sensu canonis 1096.

* * *

Iudicium ferre de gradu culpabilitatis actus Petri est opus valde arduum et pro nobis non tanti momenti. Videtur aliqualiter saltem egisse imprudenter. Delegatio potestatis assistendi ad matrimonia est actus, a quo dependent effectus iuridici gravissimi et simul est actus in materia delicata et complicata, in quo errores facile committuntur, ut experientia constat. Quare cum maxima cautela in hac re omnes procedere debent et non se exponere periculo agendi invalide, recurrentes ad delegationem factam modo complicatissimo et simul usu non probato.

Ut se liberaret e necessitate casus perplexi Petro parocho aliae apertae erant viae. Praeprimis potuerat a conventus ianitore, quocum telephonice est locutus, pe-

---

Mea sententia ratio qua huiusmodi delegatio est exclusa vi canonis 1096 utpote exigentis ut delegatio detur sacerdoti determinato est haec. De huiusmodi delegatione virtuali valet aequo modo ac de delegatione facta a Petro parocho in casu proposito, quod determinatio habetur, sed fit *dependenter a causis contingentibus, quarum actio et effectus seu exitus omnino remanet extra actionem determinantem* et proinde etiam extra cognitionem delegantis. Momento delegationis sive actualis sive virtualis non tantum haberi debet sacerdos determinatus *quocumque modo,* sed sacerdos determinatus *ab ipso delegante* vel saltem proprie ut determinatus deleganti notus. Hoc deëst in casu Petri et in delegatione virtuali de quo supra.

tere nomen et cognomen alicuius patris conventus, qui certe erat hora vespertina domum rediturus. Notato hoc nomine et cognomine potuerat mittere ad conventum litteras huius tenoris: exponere casum et deinde « quapropter delego te, Patrem Antonium a S. Clara, ad conventum S. Francisci in N. pertinentem, ut assistas ad matrimonium inter Severinum et Helenam die 7 Maii celebrandum in mea paroecia, cum facultate subdelegandi hanc facultatem alii sacerdoti determinato. Faveas igitur, si ipse nequeas venire, postquam statutum erit quis veniet ad assistendum, hunc patrem subdelegare, in scriptis, ut possit documentum deponere in domo mea ». In hoc casu verificari delegationem et etiam subdelegationem datam sacerdoti *determinato* ad normam iuris, fusius contra Galtier probavimus articulo nostro in *Monitor Eccles.* 1953, fasc. III.

Alia via fuisset haec. Scribere ad superiorem: faveas mittere aliquem patrem et fac ut adsit in domo paroeciali hora 9. Functio incipit hora 10. Dic ei ut remaneat ab hora 9 in domo paroeciali et prope telephonium. Ego hac hora instituam communicationem telephonicam cum eo et quaeram: quis es tu? Deinde notabo nomen et cognomen eius in folio iam praeparato et viva voce legam ei hanc delegationem, iam scriptis exarratam: « ego, parochus ... delego te Patrem NN., e conventu S. Francisci in N., ut assistas ad matrimonium celebrandum inter Helenam et Severinum ... ». Executio huius processus ducit ad validam delegationem.

Prima via est simul facilior et securior. Duae viae etiam coniungi possunt, ut res tutius absolvatur. Potest enim Petrus prius scribere litteras quo facit delegationem cum facultate subdelegandi. Deinde die matrimonii telephonice se certiorem reddere de executione huius processus et saltem ad cautelam delegationem repetere.

Dr. L. Bender O. P.

NOTITIAE SACRAE LITURGIAE [1]

5. MOTUS LITURGICUS ET MUSICA SACRA

Quod ad *cantum liturgicum lingua vulgari* attinet, multi musici a liturgiae peritis dissentiunt. Videamus primo documenta auctoritatis ecclesiasticae.

a) De mente S. Pii X in Motu Proprio « Tra le sollecitudini » *de musica sacra,* 22 nov. 1903 [2], disputatur: alii instructionem de musica sacra semper in relatione cum actuosa participatione fidelium vident secundum doctrinam introductionis; alii eandem instructionem magis in se considerant. Erga in forma superlata dilemma ponitur: vel musica sacra propter meliorem participationem fidelium, vel musica sacra propter seipsam.

b) In Constitutione Apostolica Pii XI « Divini cultus » *de liturgia deque cantu gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis,* 20 dec. 1928 [3], Summus Pontifex de cantu gregoriano apud populum provehendo agit, ita ut quod ad problema nostrum attinet nulla materia nova disputationis habeatur.

c) In Litteris Encyclicis Pii XII « Mediator Dei et hominum » *de sacra liturgia,* 20 nov. 1047 [4], Summus Pontifex cantum gregorianum in usum populi fidelis commendat sed etiam de problemate nostro agit.

---

[1] Cfr. *Periodica* 43 (1954) 172-183.

[2] *Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia (1903-1953). Collegit notisque ornavit* A. Bugnini C. M. (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », sectio practica, 6). Roma, Edizioni Liturgiche, 1953. Nr. 3.

[3] *Ibid.* Nr. 19.

[4] *Ibid.* Nr. 41.

« Ii laudibus exornandi sunt, qui efficere contendunt, ut Liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse adstantes omnes communicent. Id quidem non una ratione contingere potest; cum nimirum universus populus, ex sacrorum rituum normis, vel sacerdotis verbis recto servato ordine respondet, vel cantus edit, qui cum variis Sacrificii partibus congruant, vel utrumque facit, vel denique cum in Sacris sollemnibus alternas Iesu Christi administri precibus dat voces unaque simul liturgica cantica concinit » [5].

« Vespertinae laudes non solum digne ac decore persolventur, sed ita quoque ut variis modis christifidelium pietatem suaviter alliciant » [6].

« Vos adhortamur etiam, Venerabiles fratres, ut popularis ad religionem pertinens cantus cura vestra promoveatur; atque ea servata, quae par est, dignitate, diligenter effectus detur, cum christianorum multitudinis fidem pietatemque facile exacuat atque incendat [7].

Revera in hac Encyclica cantus popularis lingua vulgari, inter sollemnia liturgica peractus, a cantu qui stricto sensu iuridico liturgicus est, data opera distinguitur; immo cantus lingua vulgari tantum in Missa quae iuridice privata vel lecta dicitur, permittuntur, nam Missa cantata, sive gregoriana sive polyphonica, sine ullo dubio latina supponitur. Tamen nonnullis haec adhortatio propter duplicem metum non placet: primo in praxi Missa lecta cum cantu populari lingua vulgari Missae cantatae latinae praeponetur; deinde Encyclica sic viam sternit et ad exsecutionem canticorum *liturgicorum* lingua vulgari conversorum inter sollemnia liturgica (quod secundum hodiernum ius generale musicae sacrae non permittitur) ét ad Missam cantatam lingua vulgari. Confitendum est hunc duplicem metum realitate practica verificari, sicuti numeri *d* et *e* demonstrant.

d) In nonnullis Ritualibus quae a S. Rituum Con-

---

[5] *Ibid.* Nr. 41, al. 104.
[6] *Ibid.* Nr. 41, al. 148.
[7] *Ibid.* Nr. 41, al. 192.

gregatione approbata sunt (v. g. Rituale Germaniae [8]), habentur cantus *liturgici* lingua vulgari conversi et melodia gregoriana ornati, qui ad exsecutionem inter sollemnia liturgica destinati sunt (v. g. cantus funerales ad libitum lingua vulgari persolvendi in ordine sepeliendi).

e) In epistola Secretariae Status S. S. ad Card. A. Bertram, archiep. Vratislaviensem, 24 dec. 1943, haec in Germania conceduntur:

« Quod autem ad varios modos spectat Sacro assistendi, de quibus sermo est in litteris die 10 aprilis huius anni datis, iidem Emi Patres pro sua auctoritate statuendum esse putarunt, ut usus cum " Missae lectae coram fidelibus textum ex parte lingua germanica comitantibus (vulgo: *Gemeinschaftsmesse*), tum Missae lectae, cui fideles assistunt proferendo preces idoneas et carmina sacra lingua germanica (vulgo: *Betsingmesse*) " relinquatur prudenti iudicio Ordinariorum locorum, atque item, prae oculis habentes, quae tu ipse scribebas " de Missa cantata iuncta cum populi cantu in lingua germanica (vulgo: *deutsches Hochamt*) ", Patres petitionem istorum Episcoporum admiserunt ita videlicet, ut "hic tertius modus per Germaniam iam a pluribus saeculis florens benignissime toleretur " » [9].

Ergo in Germania nonnullis locis permittitur Missa cantata, quae partim lingua vulgari est [10]. Multis etiam extra Germaniam haec Missa placet, nam coetus pro liturgicis studiis Lugani diebus 15, 16, 17 septembris anni 1953 cooptatus, humillime et fidenter hoc votum Summi Pontificis benignitati submittit:

---

[8] *Collectio Rituum ad instar appendicis ritualis romani pro omnibus Germaniae dioecesibus a Sancta Sede approbata.* Ratisbonae, Fr. Pustet, 1950. 176 p.

[9] *Documenta Pontificia,* Nr. 34, al. 5.

[10] De natura huius Missae, vide: B. Fischer, *Das « Deutsche Hochamt »*: LiturgJahrb 3 (1953) 41-53. — Quantum scimus, haec Missa etiam in missione Larantuka permittitur, vide: Pastoralia; onderlinge gedachtenwisseling over missiemethodische pastorele vraagstukken onder redactie van de professoren van het grootse minarie Ledalero, Tweede serie, No. 10. October 1954.

« Humillime coetus rogat, quo facilius et fructuosius liturgiae populus participet, ut Ordinariis locorum potestas fiat, qua pro rerum adiunctis utantur, permittendi ipsi populo non modo Verbum Dei sua lingua audire, sed etiam eadem lingua orando canendoque, infra Missam quoque cantatam, quasi respondere » [11].

Ergo concludendum est, supremam auctoritatem ecclesiasticam cantui liturgico lingua vulgari non rigide obsistere.

Cur hodie tendentia ad cantum ecclesiasticum nationalem existit? Rationes realistico-practicae sunt: In multis regionibus die dominica nulla Missa cantata celebratur; si habetur Missa cantata, saepissime *Proprium de Tempore* vel *Sanctorum* simpliciter omittitur vel aliis canticis arbitrarie substituitur [12]; Vesperae in multis locis vel a populo non frequentantur vel non iam celebrantur; in multis locis inter sollemnia liturgica vel musica cultui divino indigna peragitur (v. g. in celebratione matrimonii) vel cantus liturgicus miserabiliter deformatur (v. g. in exsequiis). Culpa istorum abusuum multis rationibus tribuenda est: post labores enixos cantus gregorianus apud populum non succedit, utcumque hoc dolendum sit; ubi existit immo floret, tamen plerumque populo non placet ita ut difficulter sustentetur; eius exsecutio nimis difficilis est etiam propter dissensiones theoreticas inter peritos; in liturgia cantus textui sacro servire debet et quia populus textum non intelligit (v. g. psalmorum), cantus gregorianus sensum non habet. Praeterea ad dignam participationem fidelium in sollemnita-

---

11 *Partecipazione attiva alla liturgia. Atti del III convegno internazionale di studi liturgici, Lugano, 14-18 Settembre 1953, a cura* di Luigi AGUSTONI *e* Giovanni WAGNER (= Collana Liturgica, 1). Lugano, Centro di liturgia e pastorale; Como, Ars Comacina, 1953. p. 38.

12 In multis locis perpauci fideles Missae cantatae intersunt. Immo, ne populus semihora elapsa abeat quin totam Missam audiverit, nonnulli parochi cura animarum coacti, inter Missam cantatam aliam Missam lectam in altari secundario instituere debent.

tibus liturgicis promovendam, traditionalia cantica popularia non sufficiunt, nam plerumque spiritum liturgicum non habent et saepius ét quoad textum ét quoad musicam tam inferiora sunt ut melius ex ecclesiis removeantur. Ergo quid nunc agendum est?

Principium fundamentale est: *etiam populus textus liturgicos cantet!* Est principium S. Pii X:

« Cum enim vehementer Nobis cordi sit ut spiritus vere christianus in fidelibus omnibus undequaque reflorescat inviolatusque servetur, ante omnia sacrarum aedium sanctitati dignitatique provideamus oportet, ubi scilicet fideles congregantur ad eundem spiritum ex primo eoque necessario fonte hauriendum, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis mysteriis, publicis solemnibusque Ecclesiae precibus communicatione » [13].

Etiam est principium Pii XII:

« Revera pernecesse est, ut fideles, non tanquam extranei vel muti spectatores, sed penitus Liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint ... ut vocem suam sacerdotis vel Scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat. Coetus, qui intento animo altaris Sacrificio interest, in quo Servator noster una cum filiis suis, sacro cruore redemptis, immensae caritatis suae epithalamium canit, silere procul dubio non potest, quandoquidem " cantare amantis est ", et quemadmodum iam antiquitus in proverbium venit, " qui bene cantat, bis orat ". Itaque militans Ecclesia, populus nempe una cum Clero, triumphantis Ecclesiae canticis Angelorumque choris suam inserit vocem, omnesque simul magnificum aeternumque sanctissimae Trinitati concinunt laudis hymnum, secundum illud: " cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur " » [14].

Quomodo populus textus liturgicos cantare debet? Quoad eius fieri potest, textus latini cantu gregoriano a populo cantentur; vide verba Pii XII:

---

[13] *Documenta Pontificia*, Nr. 3, al. 3.

[14] *Documenta Pontificia*, Nr. 41, al. 190. Vide etiam Nr. 19, al. 16.

« Quo actuosius fideles divinum cultum participent, cantus Gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur » [15].

Sed secundum vota hodierni motus liturgici simul cantus ecclesiasticus modernus, spiritu cantus gregoriani imbutus, creandus est, qui textus liturgicos lingua vulgari conversos optime servit ideoque multitudini fidelium simplicium actuosa participatio cantus liturgici possibilis reddit. Hoc votum motus liturgicus eruit ex his verbis Pii XII:

« Id genus Sacrum, alternis vocibus celebratum, (= Missa dialogata) in locum augusti Sacrificii sollemniter peracti suffici non potest; quod quidem, etiamsi adstantibus solummodo sacris administris fiat, ob rituum maiestatem caerimoniarumque apparatum peculiari fruitur dignitate sua, cuius tamen splendor et amplitudo, si frequens pietateque praestans populus adsit, ut Ecclesiae in votis est, summopere adaugetur » [16].

Quia forma perfecta liturgiae eucharisticae est Missa cantata, etiam actuosa participatio fidelium modernis formis popularibus Missae lectae restringi non licet; tamen ut praesentia participationeque populi Missa cantata splendorem et amplitudinem summam acquirat, obstaculum existit, scil. cantus liturgicus lingua latina; propterea emittitur a multis votum cantus liturgici lingua vulgari.

Plerique liturgiae pastoralis periti in hoc problemate a populo proficiscuntur: experientia iterum iterumque docet populum modernum non habere gustatum Medii Aevi; elevatio populi ad talem gradum civilisationis, ut ei cultura praeterita revera placeat, physice ac moraliter impossibilis est; ad maiorem partem textuum liturgicorum devote religioseque cantandam quaedam intelligentia textuum necessaria est; cantus gregorianus sic vitalis est, ut non

---

15 *Documenta Pontificia*, Nr. 41, al. 190. Vide etiam Nr. 19, al. 16.

16 *Documenta Pontificia*, Nr. 41, al. 105.

tantum repeti possit sed etiam virtutem habeat procreandi novas formas secundum diversitatem linguarum (quod olim in Oriente factum est, etiam nunc in Occidente possibile est). Ergo falsa esset affirmatio motum liturgicum adversarium cantus gregoriani esse. Tamen experientia edoctus confitetur, proposita Pii X et Pii XI materialiter ad litteram inter populum realisari non posse, sed ut speratur, Pium XII viam stravisse ad originem novi cantus ecclesiastici popularis, qui dicta proposita formaliter secundum spiritum realisabitur [17].

---

[17] Cfr. epistolam Pii XII ad Emum Card. Theodorum Innitzer, archiep. Vindobonensem, ob conventum internationalem de musica sacra, diebus 4-10 octobris 1954 Vindobonae habitum: « Die Lage der katholischen Kirchenmusik fünfzig Jahre nach dem Motu proprio des heiligen Papstes Pius X. - der Kongress selbst trägt den Titel " Die katholische Kirchenmusik nach dem Motu Proprio Pius X. im Aufbruch einer neuen Zeit " - diese Lage zu umreissen, heisst auf der einen Seite die Treue zu den wesentlichen kirchenmusikalischen Grundsätzen herausstellen, die zu allen Zeiten Gültigkeit behalten, auf der andern Seite aber heisst es jener Entwicklung Rechnung tragen, die jedem Organismus innewohnt, durch die er sein eignes Leben erhält, ja dessen Fähigkeiten zu erhöhen sucht. Es gilt daher die Forderung: keine Aenderung der Grundsätze, die, weil sie wesentlich, für die Dauer Geltung haben, sondern deren Fortentwicklung in den Erscheinungsformen, in treuer Anwendung eben jener bekannten Grundsätze auf die heutigen Umstände und Bedürfnisse. Dies darf aber gewiss keine Missachtung geistlicher oder künstlerischer Werte der Vergangenheit bedeuten; es soll auf kirchenmusikalischem Gebiet nur heissen, die Schöpfungen der Vergangenheit weiterzuentwickeln im Einklang mit Ziel und Zweck der Musica Sacra selbst. Wenn sich daher von selbst geziemende Ehrfurcht vor der überkommenen kirchlichen Musik empfiehlt, so dürfen doch die Gotteshäuser ihre Pforten auch dem Neuen öffnen, das der Spur des goldenen Zeitalters der kirchlichen Kunst folgend, von echt katholischem Geist beseelt und von begnadeten Künstlern gestaltet ist, wenn zwar in der Ausdrucksform heutiger Mittel und neuzeitlicher Technik. Das Ziel wird in der Uebereinstimmung von Altem und Neuem liegen, so dass einer Musik die Wege geebnet werden, die Gott dem Herrn

Alii tamen ab ipso cantu gregoriano proficiscuntur. Eius excellentiam extollunt secundum verba documentorum pontificiorum; theorias ad exsecutionem pulchram obtinendam elaborant; magistros cantus instituunt; scholas cantorum erigunt. Quamobrem ubique terrarum monasteria, ecclesiae cathedrales et paroeciales existunt, ubi cantus ecclesiasticus perfecte peragitur etiam ad devotionem voluptatemque religiosam fidelium audientium. Tamen putant — proh dolor, ex defectu sensus realitatis sicut alii dicunt — hoc negotium artisticum ac intellectuale in omnibus ecclesiis plus minusve realisari posse: Docent ex Olympo opulentiae musicalis, inopiae artisticae vulgi eiusque possibilitatum ignari.

Multi periti merito improbant cantum gregorianum lingua vulgari, a nonnullis musicis compositum. Laudabiliter (secundum nos) multi operam dant ut populus psalmos lingua vulgari cantet (revera psalmi sunt nucleus cantus christiani eaque de causa a psalmodia initium sumendum est ad cantum ecclesiasticum nationalem procreandum); sed in hoc negotio non tantum bona traductio psalmorum necessaria est sed etiam psalmodia pulchra aesthetica. Sed quid factum est? Multi inceperunt psalmos lingua vulgari conversos melodia gregoriana cantare. Iam a priori dici potest tales conatus ad irritum cadere debere, nam psalmodia latina naturaliter solo cum textu latino coniungi potest. Sed simul habentur conatus qui revera scientifico-aesthetici iudicandi sunt et optimae spei sunt. In Gallia fortasse solutio inventa vel indicata est a musico Josepho Gelineau S. J. [18]. Tandem aliquando possibilitas insignis cantus ecclesiastici nationalis probatione non indiget, nam apud Protestantes et Anglica-

---

wohlgefällt und es dem Gläubigen ermöglicht, seine Gebete auf ihren Flügeln beschwingter zum Thron des Allerhöchsten emporzusenden ».

[18] Cfr. *La Maison-Dieu* 33 (1953).

nos existit; omnis musicae peritus in eorum cantu influxum cantus gregoriani faciliter recognoscere potest [19].

Ergo solutio realistico-practica problematis musicae sacrae existit, si animo sincero ac placato res consideratur:

a) In monasteriis, ecclesiis cathedralibus et aliis ecclesiis prospero fortunae flatu utentibus, cantus gregorianus secundum suam formam optimam maneat vel restauretur.

b) Clerus tum theoretice tum practice musica sacra instituatur [20].

c) Scholae cantorum inter laicos instituantur; hoc etiam ad munus scholarum catholicarum pertinet. Ubi enim optima schola cantorum existit, fideles ad canendum alliciuntur.

d) Quoad eius fieri potest, populus cantum gregorianum participet.

---

[19] Nonnulla argumenta proferimus quae iterum iterumque contra motum liturgicum enuntiantur: Ad quid motus liturgicus? Anglicani splendidam liturgiam lingua vulgari celebrant sed eorum ecclesiae occursu fidelium vacuae sunt, cum multitudo catholicorum functionibus liturgicis adest quae miserabiles iudicantur. Vel: musicus Protestans invitatur, ut coram catholicis pulchritudinem cantus gregoriani laudet et cantum Protestantium lingua vulgari improbet dissuadeatque. Iis qui talia media adhibent respondere supervacaneum nobis videtur.

Nequaquam catholicos adhortari volumus ut cantum acatholicorum suscipiant. E contra. In omnibus regionibus religionis mixtae aversio catholicorum a tali negotio constat solidisque argumentis fulcitur. Ab altera parte tamen etiam catholici in iisdem regionibus proprios cantus populares adhibent ac eidem problemati musicae sacrae obnoxii sunt.

[20] Cfr. epistolam S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus ad Exc.mos locorum Ordinarios, 15 aug. 1949, *de musicae sacrae studio in seminariis fovendo*: Documenta Pontificia, Nr. 48. Vide etiam: Secretaria Status, Epistola E.mo Card. Iosepho Pizzardo, *de Musica Sacra*, die 21 nov. 1953: OssRom 23-24 nov. 1953; EphLit 68 (1954) 58-60.

e) Ad magnas sollemnitates et manifestationes polyphonia contineatur.

f) Ad actuosam participationem populi (praesertim in missionibus) melius promovendam, musicae sacrae periti cantum ecclesiasticum nationalem componant qui dignus est ut, auctoritate approbante, vel tanquam cantus non-liturgicus inter sollemnia liturgica (v. g. inter Missam lectam) adhibeatur vel inter cantum liturgicum (v. g. in Rituali) admittatur.

Ergo quod ad musicam sacram attinet, hoc dilemma existit: Si cantus ecclesiasticus interpretetur tanquam ars propter artem (l'art pour l'art) ideoque finis in se sit, cantus populi magis magisque praetermittatur; sin autem interpretetur tanquam ars propter gloriam Dei et sanctificationem hominis ideoque medium sit, cantus populi florem recuperet.

Tandem aliquando aliquid notare debemus de crisi quae, sicut omnibus notum est, adhuc semper in negotio musicae sacrae regnat. Constat enim in cantu gregoriano insufficientem curam adhiberi et polyphoniam peragi vel componi quae a spiritu liturgico nimis distat. Quae est ultima ratio huius criseos? Non omnes satis conscii sunt eorum munus esse liturgicum, spirituale. Exercitium musicae sacrae saepe nimis profanum est; interdum nihil aliud est quam quaestus, vel tantum amore musicae aut animi relaxandi causa in ecclesiis cantatur. Non satis ars musica peragitur propter gloriam Dei sanctificationemque fidelium, sed nimis propter artem, propter pecuniam vel propter multas alias rationes. Homo religiosus statim conspicit maximam differentiam inter cantum monachorum et cantum nonnullarum scholarum perfectarum quae arte insignes sunt sed religiositate carent. Ergo materialis ad litteram observatio instructionum pontificiorum de musica sacra non sufficit. Proh dolor, experientia docet musicam sacram post Motu Proprio S. Pii X non raro deviationem a cultu ad exercitium

musicae sacrae ostendere, quod a profano exercitio musicae non differt. Sine dubio principium modernum « ars propter artem » (l'art pour l'art) etiam musicae sacrae nocet, ita ut oppositio perniciosa inter artem ac vitam, artistas ac ceteros, in Ecclesia dolenda sit. Ergo principaliter hoc in negotio desideratur formalis secundum spiritum observatio instructionum pontificiorum de musica sacra. Prae oculis semper habenda sunt principia generalia instructionis de musica sacra S. Pii X [21], praesertim initium :

« Musica sacra, utpote solemnis liturgiae pars necessaria, huius finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum caeremoniarum decus ac splendorem augendum ipsa concurrit, quumque peculiare eius officium in hoc versetur, ut aptis concentibus liturgicum textum exornet fidelium menti propositum, proprium ei munus addicitur maiorem vim eidem textui adiungendi, quo facilius inde fideles ad pietatem excitentur, meliusque animum disponant ad gratiae fructus consequendos, qui a celebratis divinis mysteriis proveniunt » [22].

Secundum hunc spiritum in coetu italiano musicae sacrae anno 1954 Card. Jacobus Lercaro argumentum « Redeamus ad liturgiam solemnem » evolvebat [23]; haec oratio iis qui artem propter artem profitentur, vox dissona est, sed iis qui cultum divinum celebrant, vox caelestis. Secundum oratorem eminentissimum maxima sollemnitas liturgiae in actuatione amplissima virtutis communitariae Missae consistit, et huic fini musica sacra fidelissime parere debet.

Haec notitia nihil aliud intendit quam intimam collaborationem inter musicae sacrae peritos et promotores renovationis liturgicae, vel nexum inter artem et curam liturgico-pastoralem. In moderno enim motu liturgico stu-

---

[21] *Documenta Pontificia*, Nr. 3, al. 5-9.
[22] *Documenta Pontificia*, Nr. 3, al. 5.
[23] *OssRom* 5 settembre 1954.

dium reformationis duplex est: *restauratio* genuinae liturgiae romanae secundum doctrinas theologiae, historiae et artis; *adaptatio* liturgiae necessitatibus hodiernarum circumstantiarum populi Dei. Ergo semper simul habendi sunt regressus ad fontes et progressus secundum hodiernam vitalitatem Ecclesiae. Nisi haec duo intime connectantur, vel restauratio etiamsi abstracte considerata magnifica sit, inutilis alienaque maneat a vitalitate concreta, vel adaptatio interitus liturgiae fiat. Omnia problemata liturgica possumus reducere ad conatum inveniendi *concordiam inter puritatem plenitudinemque liturgiae et necessitates pastorales populi hodierni.* Sine dubio, aspectus liturgico-pastoralis maiores difficultates secumfert, ita ut semper periculum adsit, ne restauratio nimis historica et academica maneat, immo mere administrativa, ad detrimentum totius negotii. Artis musicae periti miseriam populi intelligant ideoque promotoribus liturgiae popularis benevoli sint, nam novitates petunt non cupiditate novi sed necessitate historica et propter gravissimas exigentias pastorales fidelium. Qui unum bonum intendit, aliud bonum non reiciat! Ergo praeter cantum gregorianum et polyphoniam etiam, secundum leges genuinae artis musicae sacrae, cantus popularis optimus creetur.

H. Schmidt S. J.

MONUMENTA

10 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXVI [18 nov. 1954] p. 625)

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE REGALI BEATAE MARIAE VIRGINIS DIGNITATE EIUSQUE FESTO INSTITUENDO

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Populus christianus semper ad B.V.M. confugit.

Ad Caeli Reginam, inde a primis Catholicae Ecclesiae saeculis, supplices preces ac laudis pietatisque cantus christianus populus adhibuit, sive cum laetitiae suavitatibus afficeretur, sive praesertim cum in gravibus periclitaretur rerum angustiis; ac numquam spes decidit in Divini Regis Iesu Christi Matre reposita, numquam fides illa elanguit, qua docemur Deiparam Virginem Mariam in universo terrarum orbe materno animo regnare, quemadmodum regalis gloriae corona in caelesti redimitur beatitate.

S. Pontifex in hoc minaci rerum discrimine fidens ad Eam recurrit.

Nos autem post calamitates immanes, quae ob oculos etiam Nostros, florentes urbes, oppida, pagos innumeris obruerunt ruinis, cum dolentes videamus tot tantaque animorum mala turbida quadam eluvione formidolose exundare, cumque cernamus interdum labare ius-

titiam, atque passim corruptelarum triumphare illecebras, in hoc minaci ac trepido rerum discrimine, summa aegritudine angimur; atque adeo fidentes ad Mariam Reginam Nostram confugimus, non modo Nostros pietatis sensus eidem patefacientes, sed eorum etiam omnium tatis sensus eidem patefacientes, sed eorum etiam omnium, qui christiano gloriantur nomine.

Meminisse autem placet ac iuvat, Nosmet ipsos, calendis Novembris Anni Sacri MDCCCCL, coram ingenti multitudine cum Patrum Cardinalium, tum sacrorum Antistitum, sacerdotum et christifidelium, qui undique gentium advenerant, dogma decrevisse Assumptionis Beatissimae Mariae Virginis in Caelum [1], ubi animo corporeque praesens, inter Angelorum Sanctorumque Caelitum choros regnat una cum Unigena Filio suo. Ac praeterea, cum saeculum expleretur ex quo imm. mem. Decessor Noster Pius IX summam Dei Genetricem sanxit ac definivit sine ulla originalis peccati labe fuisse conceptam, Marialem qui volvitur Annum indiximus [2]; ac nunc magno cum paterni animi Nostri solacio cernimus, non modo hac in alma Urbe — praesertim vero in Liberiana Basilica, ubi multitudines innumerae suam fidem suamque erga caelestem Matrem incensissimam caritatem significanter testantur — sed in omnibus etiam terrarum orbis partibus, pietatem in Deiparam Virginem etiam atque etiam revirescere, praecipuaque Mariae templa frequentissima excepisse atque adhuc excipere peregrinantium christifidelium agmina supplicantium.

Sua Sanctitas dogma Assumptionis B. M. V. in Coelum decrevit.

Marialem quoque Annum indixit.

Omnesque norunt Nos, quotiescumque opportunitas data est, cum nempe Nostros in Christo filios coram admissos allocuti sumus, vel cum, radiophonicae artis ope,

---

1 Cfr. Constitutio Apostolica *Munificentissimus Deus*: *A.A.S.* XXXXII, 1950, p. 753 sq.

2 Cfr. Litt. Enc. *Fulgens corona*: *A.A.S.* XXXXV, 1953, p. 577 sq.

ad longinquos etiam populos verba fecimus, eos omnes, quos potuimus, adhortatos esse ad benignissimam ac potentissimam Matrem nostram impensa ac tenera — ut filios addecet — caritate adamandam. Quam ad rem peculiari modo in memoriam revocare libet radiophonicum nuntium, quem ad Lusitanorum populum transmisimus, cum prodigialis Mariae Virginis imago, quae Fatimae colitur, aureo diademate redimita fuit [3], et quem Nosmet ipsi « Regalitatis » Mariae nuntium vocavimus [4].

Festum liturgicum B. M. V. Reginae instituere decernit.

Iamvero, ut multiplicibus hisce erga magnam Dei Matrem pietatis Nostrae significationibus(quas christianus populus tam studiose prosecutus est, quasi cumulum afferamus, itemque ut Marialem Annum, qui iam ad exitum vergit, feliciter utiliterque concludamus, utque instantibus petitionibus, quae hac de causa undique gentium ad Nos pervenerunt, libenter concedamus, festum liturgicum Beatae Mariae Virginis Reginae instituere decrevimus.

Qua de re non novam veritatem credendam christiano populo proponere volumus, cum reapse titulus atque argumenta, quibus regalis Mariae dignitas innititur, iam sint quovis tempore luculenter expressa, iamque in Ecclesiae documentis habeantur antiquitus tradita, et in sacrae liturgiae libris.

Quae quidem placet per Encyclicas has Litteras recolere, ut caelestis Matris nostrae renovemus laudes, utque studiosiorem erga eam pietatem, non sine spirituali emolumento, in omnium animis refoveamus.

I

Christianorum populus, cum, elapsis etiam temporibus non sine ratione crederet illam, de qua Filius Altis-

---

[3] Cfr. *A.A.S.* XXXVIII, 1946, p. 264 sq.

[4] Cfr. *L'Osservatore Romano,* d. 19 Maii, a. 1946.

simi natus est, qui « regnabit in domo Iacob in aeternum » [5], « Princeps pacis » [6], « Rex regum et Dominus dominantium » [7], prae aliis omnibus, a Deo creatis, singularia accepisse gratiae privilegia, cumque consideraret arctam necessitudinem interesse inter matrem et prolem, regiam excellentiam Dei Genetrici super omnia facile agnovit.

Christianorum populus regiam excellentiam Dei Genitrici facile agnovit.

Quamobrem mirum non est iam antiquos Ecclesiae scriptores, verbis innixos S. Gabrielis Archangeli, qui Mariae Filium praedixit regnaturum esse in aeternum [8], verbisque Elisabeth, quae eam reverenter salutando celebravit « Matrem Domini mei » [9], Mariam appellasse « Matrem Regis », « Matrem Domini », haud obscure significantes eam ex regia Filii sui dignitate praecipuam quandam habuisse celsitudinem atque praestantiam.

Itaque S. Ephraem, poëtico fervens afflatu, sic eam loquentem inducit: « Caelum sustineat me suis amplexibus, quia prae illo honorata sum. Etenim caelum non fuit tibi mater; sed illud effecisti thronum tuum. Quam honorabilior et venerabilior Mater Regis throno eius » [10]. Et alibi sic eam adprecatur: « ... puella Augusta et hera, Regina, Domina sub alis tuis protege, custodi me ut ne contra me Satan exultet, qui perniciem creat, neque adversus me scelestus inimicus extollatur » [11].

Sanctis Ecclesiae Patribus et Doctoribus ducibus atque antesignanis.

A S. Gregorio Nazianzeno Maria appellatur: « Mater Regis totius universi », « Mater Virgo, [quae] totius

---

5 Luc. I, 32.

6 Isai. IX, 6.

7 *Apoc.* XIX, 16.

8 Cfr. Luc. I, 32, 33.

9 Luc. I, 43.

10 S. Ephraem, *Hymni de B. Maria*, ed. Th. J. Lamy, t. II, Mechliniae, 1886, hymn. XIX, p. 624.

11 Idem, *Oratio ad Ss.mam Dei Matrem; Opera omnia*, Ed. Assemani, t. III (graece), Romae, 1747, pag. 546.

mundi peperit Regem »[12]. Prudentius vero asseverat mirari genetricem « se Deum genuisse hominem, Regem quoque summum »[13].

Regia autem haec Beatae Virginis Mariae dignitas clare aperteque ab iis significatur et asseritur, qui eam « Dominam », « Dominatricem », « Reginam » appellant.

Iam in quadam homilia, Origeni attributa, Maria ab Elisabeth non solum vocatur « Mater Domini mei », sed etiam « Tu Domina mea »[14].

Sanctorum Patrum documenta.

Quod item ex hoc S. Hieronymi loco eruitur, cum ipse inter varias Mariae nominis interpretationes hanc postremam afferat sententiam: « Sciendum quod Maria, sermone syro Domina nuncupatur »[15]. Id pariter certiore modo, post ipsum, S. Chrysologus hisce verbis enuntiat: « Maria hebraeo sermone, latine Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genetricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas »[16].

Praeterea Epiphanius, Episcopus Constantinopolitanus, Summo Pontifici Hormisdae scribens, supplicandum esse dicit, ut Ecclesiae unitas servetur « gratia sanctae et unius essentiae Trinitatis et intercessionibus Dominae nostrae Sanctae et gloriosae Virginis et Dei Genetricis Mariae »[17].

---

[12] S. Gregorius Naz., *Poemata dogmatica*, XVIII, v. 58: *P. G.* XXXVII, 485.

[13] Prudentius, Dittochaeum, XXVIII: *P. L.* LX, 102 A.

[14] *Hom. in S. Lucam, hom. VII*; ed. Rauer, Origenes' Werke, T. IX, p. 48 (ex catena Macarii Chrysocephali). Cfr. *P. G.* XIII, 1902 D.

[15] S. Hieronymus, *Liber de nominibus hebraeis*: *P. L.* XXIII, 886.

[16] S. Petrus Chrysologus, Sermo 142, *De Annuntiatione B. M. V.*: *P. L.* LII, 579 C; cfr. etiam 582 B; 584 A: « Regina totius exstitit castitatis ».

[17] *Relatio Epiphanii Ep. Constantin.*: *P. L.* LXIII, 498 D.

Quidam vero eiusdem aetatis auctor Beatam Virginem, sedentem ad dexteram Dei, ut pro nobis deprecetur, sollemniter hisce verbis salutat: « mortalium Dominam, sanctissimam Deiparam » [18].

Reginae autem dignitatem pluries Mariae Virgini attribuit S. Andreas Cretensis; haec enim, exempli gratia, scribit: « Matrem suam semper Virginem, e cuius utero, ipse Deus exsistens, humanam induit formam, hodierna die ceu Reginam humani generis, a terrenis sedibus transfert » [19]. Et alio loco: « Regina totius humani generis, nuncupationem cum usu sinceram retinens, quae, uno excepto Deo, rebus omnibus excelsior » [20].

Priorum Ecclesiae saeculorum testimonia.

Itemque S. Germanus humilem Virginem hisce verbis alloquitur: « Sede, Domina, decet enim, Regina cum sis et prae omnibus regibus gloriosa, sublimi loco sedere » [21]; -eamque vocat: « terrigenarum omnium Dominam » [22].

A Sancto autem Ioanne Damasceno nuncupatur: « Regina, hera, Domina » [23], atque etiam: « omnis creaturae Domina » [24]; et ab antiquo quodam Ecclesiae Occidentalis scriptore vocatur: « felix Regina », « iuxta Genitum Regem Regina perennis », cuius « caput niveum ornatur diademate fulvo » [25].

---

18 *Encomium in Dormitionem Ss.mae Deiparae* (inter opera S. Modesti): *P. G.* LXXXVI, 3306 B.

19 S. Andreae Cretensis, *Homilia II in Dormitionem Ss.mae Deiparae*: *P. G.* XCVII, 1079 B.

20 Id., *Homilia III in Dormitionem Ss.mae Deiparae*: *P. G.* XCVII, 1099 A.

21 S. Germanus, *In Praesentationem Ss.mae Deiparae*, I: *P. G.* XCVIII, 303 A.

22 Id., *In Praesentationem Ss.mae Deiparae*, II: *P. G.* XCVIII, 315 C.

23 S. Ioannes Damascenus, *Homilia I in Dormitionem B.M.V.*: *P. G.* XCVI, 719 A.

24 Id., *De fide orthodoxa*, I, IV, c. 14: *P. G.* XLIV, 1158 B.

25 *De laudibus Mariae* (inter opera Venantii Fortunati): *P. L.* LXXXVIII, 282 B et 283 A.

Ac denique S. Ildefonsus Toletanus omnes fere honoris titulos hac salutatione complectitur: « O Domina mea, dominatrix mea; dominans mihi, Mater Domini mei. ... Domina inter ancillas, Regina inter sorores » [26].

Ex his aliisque paene innumeris testinomiis, antiquitus traditis, Ecclesiae theologi eiusmodi doctrinam haurientes, Beatissimam Virginem appellarunt rerum omnium creatarum Reginam, mundi Reginam, universorumque Dominam.

Etiam Romani Pontifices devotionem erga caelestem Matrem ac Reginam probarunt et provexerunt.

Summi autem Ecclesiae Pastores officii sui esse duxerunt christiani populi pietatem erga caelestem Matrem ac Reginam suis laudibus hortationibusque probare ac provehere. Itaque, ut recentiorum Pontificum documenta silentio praetereamus, haec in memoriam revocare iuvat: septimo nempe iam saeculo Decessorem Nostrum S. Martinum I Mariam appellavisse « Dominam nostram gloriosam, semper Virginem » [27]; S. Agathonem vero in epistula synodali, ad Patres Concilii Oecumenici sexti missa, eam dixisse « Dominam nostram, vere et proprie Dei Genetricem » [28]; ac saeculo octavo Gregorium II, in epistula ad S. Germanum Patriarcham data, et in septimo Concilio Oecumenico, Patribus omnibus conclamantibus lecta, Deiparam vocasse: « omnium Dominam ac veram Dei matrem », itemque « omnium Christianorum Dominam » [29].

Haec praeterea memorare libet: cum Decessor Noster imm. rec. Xystus IV favorabili animo doctrinam illam attigit de immaculato Beatae Virginis conceptu, Apostolicas Litteras « Cum praeexelsa » [30] ab hisce verbis

---

26 Ildefonsus Toletanus, *De virginitate perpetua B. M. V.*: *P. L.* XCVI, 58 AD.

27 S. Martinus I, *Epist.* XIV: *P. L.* LXXXVII, 199-200 A.

28 S. Agatho: *P. L.* LXXXVII, 1221 A.

29 Hardouin, *Acta Conciliorum*, IV, 234; 238: *P. L.* LXXXIX, 508 B.

30 Xystus IV, Bulla *Cum praeexcelsa*, d. d. 28 Febr. a. 1476.

exorsum esse, quibus Maria « Regina » nuncupatur, « quae pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit ». Quod pari modo Benedictus XIV asseveravit in Apostolicis suis Litteris « Gloriosae Dominae » in quibus Maria « Regina caeli et terrae » vocatur, eique Supremum Regem quodammodo suum tradidisse asseritur imperium » [31].

Quapropter S. Alfonsus De Ligorio omnia superiorum saeculorum testimonia amplexus, haec piissime scribit: « Quoniam Maria Virgo ad tam excelsam dignitatem evecta fuit, ut regum Regis Mater esset, idcirco iure meritoque Ecclesia eam Reginae titulo decoravit » [32].

II

Sacra vero liturgia, quae doctrinae a maioribus traditae et a christiano populo creditae est veluti fidele speculum, per omnis aetatis decursum, sive in Oriente, sive in Occidente, caelestis Reginae laudes cecinit perenniterque canit.

Insonant quidem ex Oriente fervidae voces: « O Dei Genetrix, hodie in caelum translata es Cherubim curribus, Tibique Seraphim ministrant, atque caelestis militiae agmina coram Te procumbunt » [33].

Sacra liturgia tam in Oriente quam in Occidente caelestis reginae laudes et cecinit et canit.

Atque etiam: « O iuste, beatissime (Ioseph), cum ex regali progenie ortus sis, ex omnibus delectus es sponsus Reginae purae, quae Iesum Regem ineffabiliter pariet ». Itemque: [34] « Hymnum fundam Matri Reginae, ad quam cum gaudio celebraturus accedam, ut eius mi-

---

31 Benedictus XIV, Bulla *Gloriosae Dominae*, d. d. 27 Sept. a. 1748.

32 S. Alfonso, *Le glorie di Maria*, p. I, c. I, § 1.

33 Ex liturgia Armenorum: in festo Assumptionis, hymnus ad Matutinum.

34 Ex *Menaeo* (byzantino): Dominica post Natalem, in Canone, ad Matutinum.

rabilia laetus canam ... O Domina, lingua nostra te digne laudare nequit; quia Tu, quae Christum Regem genuisti, supra Seraphim exaltata es ... Salve, o Regina mundi, salve o Maria, omnium nostrum Domina » [35].

In « Missali » autem Aethiopico legimus: « O Maria, centrum totius mundi, ... Tu maior es quam Cherubim multis oculis praediti, et Seraphim sex alis ornati. ... Caelum et terra omnino plena est sanctitatis gloriae tuae » [36].

Concinit autem Ecclesiae latina vetustam illam ac dulcissimam precationem, quae « Salve Regina » nuncupatur, et iucundas antiphonas « Ave, Regina coelorum », « Regina coeli laetare », et eas pariter, quae in Beatae Mariae Virginis festis recitari solent: « Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate » [37]; « Teque Reginam celebrat potentem terra polusque » [38]; « Hodie Maria Virgo caelos ascendit: gaudete quia cum Christo regnat in aeternum » [39].

Quibus quidem praeter alia addendae sunt Litaniae Lauretanae, quae populo christiano Mariam Reginam identidem invocandam cotidie suadent. Atque etiam Mariae imperium, quod caelum terramque complectitur, iam a multis elapsis saeculis christiani meditari solent, quintum memoria recolentes gloriosum mysterium Marialis Rosarii, quod potest aelestis Reginae mystica appellari corona.

Etiam christiana ars inde ab Ephesino Concilio Mariam Reginam et Imperatricem effingit.

Ars denique, quae christianis principiis innititur, eorumque permovetur afflatu, utpote quae ingenuam sponteque editam christifidelium pietatem fideliter interpretetur, inde ab Ephesino Concilio, ut Reginam et Imperatricem Mariam effingit, regio in solio sedentem, regali-

---

35 Officium hymni _____ (in ritu byzantino).

36 *Missale Aethiopicum,* Anaphora Dominae nostrae Mariae, Matris Dei.

37 *Brev. Rom.,* Versiculus sexti Respons.

38 Festum Assumptionis; hymnus Laudum.

39 Ibidem, ad Magnificat II Vesp.

bus ornatam insignibus, diademate redimitam, atque Angelorum Sanctorumque Caelitum circumfusam cohorte, quippe quae non modo in naturae res ac vires dominetur, sed in pravos quoque Satanae impulsus. Iconographia, ad regiam etiam Beatae Virginis Mariae dignitatem quod attinet, operibus, summo pulcherrimoque artificio factis, quovis tempore ditata est; atque eo usque processit ut divinum Redemptorem nostrum, fulgenti corona Matrem suam redimientem, coloribus redderet.

Eiusmodi populari pietati obsecundantes, Romani Pontifices saepenumero Deiparae Virginis imagines, publica iam veneratione insignes, vel propriis ipsi manibus, vel per sacros ab se delegatos Antistites, diademate decorarunt.

III

Ut iam supra attigimus, Venerabiles Fratres, cum ex documentis antiquitus a maioribus traditis, tum ex sacra Liturgia, praecipuum, quo regalis Mariae dignitas innititur, principium procul dubio est divina eius maternitas. Quandoquidem enim in Sacris Litteris de Filio, quem Virgo concipiet, haec sententia legitur: « Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis » [40], ac praeterea Maria « Mater Domini » [41], nuncupatur, inde facile eruitur ipsam quoque esse Reginam, quippe quae Filium genuerit, qui eodem momento quo conceptus est, propter hypostaticam humanae naturae cum Verbo unionem, Rex, etiam ut homo, erat et rerum omnium Dominus. Itaque iure meritoque S. Ioannes Damascenus haec scribere po-

Divina Maternitas praecipuum est principium in quo regalis Mariae dignitas innititur.

40 Luc. I, 32, 33.

41 Ibid. I, 43.

tuit: « Vere omnis creaturae Domina facta est cum Creatoris Mater exstitit »[42]; parique modo affirmari potest primum, qui regium Mariae munus caelesti ore nuntiavit, ipsum fuisse Gabrielem Archangelum.

Aliud huius dignitatis principium in eximia participatione initiatur quam Ea habuit in nostrae redemptionis opere.

Attamen Beatissima Virgo Maria non tantum ob divinam suam maternitatem Regina est dicenda, sed etiam quia ex Dei voluntate in aeternae salutis nostrae opere eximias habuit partes. « Quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere — ut Decessor Noster fel. rec. Pius XI scribebat — quam Christum nobis iure non tantum nativo, sed etiam acquisito, scilicet Redemptionis imperare? Servatori enim nostro quanti steterimus obliviosi utinam homines recolant omnes: " non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, ... sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati "[43]. Iam nostri non sumus, cum Christus " pretio magno "[44] nos emerit »[45].

In quo perficiendo B. V. M. fuit cum Christo intime consociata.

Iamvero in hoc perficiendo redemptionis opere Beatissima Virgo Maria profecto fuit cum Christo intime consociata; merito igitur in Sacra Liturgia canitur: « Stabat Sancta Maria Caeli Regina et mundi Domina iuxta crucem Domini Nostri Iesu Christi dolorosa »[46]. Quapropter, ut iam media aetate piissimus S. Anselmi discipulus scribebat, « sicut ... Deus sua potentia parando cuncta, pater est et Dominus omnium, ita Beata Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est et Domina rerum; Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo, et Maria est Domina rerum, singula congenitae dignitati per illam, quam

---

[42] S. Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, l. IV, c. 14: *P. G.* XCIV, 1158 s. B.

[43] *I Petr.* I, 18, 19.

[44] *I Cor.* VI, 20.

[45] Pius XI, Litt. Enc. *Quas primas*: *A.A.S.* XVII, 1925, p. 599.

[46] Festum septem dolorum B. Mariae Virg., Tractus.

meruit gratiam, restituendo »[47]. Etenim, « sicut Christus, eo quod nos redemit, speciali titulo Dominus est ac Rex noster, ita et Beata Virgo, propter singularem modum, quo ad nostram redemptionem concurrit, et substantiam suam ministrando, et illum pro nobis voluntarie offerendo, nostramque salutem singulariter desiderando, petendo, procurando »[48].

Quibus ex rationibus huiusmodi argumentum eruitur: si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam « recapitulationem »[49] peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam « ut redimendi generis humani consors efficeretur »[50], et si reapse « ipsa fuit quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Heva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, aeterno Patri obtulit »[51]; inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae

B. V. M. regina et quia mater Dei est et quia veluti nova Eva cum novo Adam consociata fuit.

---

47 Eadmerus, *De excellentia Virginis Mariae*, c. 11: *P. L.* CLIX, 508 AB.

48 F. Suarez, *De mysteriis vitae Christi*, disp. XXII, sect. II (ed. Vivès, XIX, 327).

49 S. Irenaeus, *Adv. haer.*, V, 19, 1: *P. G.* VII, 1175 B.

50 Pius XI, Epist. *Auspicatus profecto*: *A.A.S.* XXV, 1933, p. 80.

51 Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.* XXXV, 1943, p. 247.

modo Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit.

Propria et absoluto sensu Christus Rex est; attamen Maria temperato modo et analogice regina.

Iamvero plena, propria et absoluta significatione, unus Iesus Christus, Deus et homo, Rex est; attamen Maria quoque, quamvis temperato modo et analogiae ratione, utpote Christi Dei mater, socia in divini Redemptoris opera, et in eius cum hostibus pugna in eiusque super omnes adepta victoria, regalem participat dignitatem. Ex hac enim cum Christo Rege coniunctione splendorem celsitudinemque attingit, qua creatarum rerum omnium excellentiam exsuperat; ex hac cum Christo coniunctione regalis facultas oritur, qua ipsa potest Divini Redemptoris Regni dispensare thesauros; ex hac denique cum Christo coniunctione materni eius patrocinii apud Filium et Patrem elicitur exhausta numquam efficacia.

B. V. M. super omnes post Filium suum obtinet primatum.

Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua super omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum. « Tu denique — ita S. Sophronius — omnem creaturam longe transgressa es ... quid sublimius esse queat hoc gaudio, o Virgo Mater? Seu quid excellentius esse possit hac gratia, quam tu sola divinitus sortita es? » [52]. Cui praeconio hanc laudem S. Germanus adiungit: « Superat creata omnia tuus honor et dignitas; prae angelis maior excellentia tua » [53]. Ac S. Ioannes Damascenus eo usque procedit, ut in hanc exeat sententiam: « Infinitum Dei servorum ac Matris discrimen est » [54].

Ad hunc excellentissimum intellegendum dignitatis

---

[52] S. Sophronius, *In Annuntiationem Beatae Mariae Virginis*: *P. G.* LXXXVII, 3238 D; 3242 A.

[53] S. Germanus, *Hom. II in Dormitionem Beatae Mariae Virginis*: *P. G.* XCVIII, 354 B.

[54] S. Ioannes Damascenus, *Hom. I in Dormitionem Beatae Mariae Virginis*: *P. G.* XCVI, 715 A.

gradum, quem Deiparens super creata omnia adepta est, considerare iuvat Sanctam Dei Genetricem iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret. Quapropter — ut Decessor Noster fel. rec. Pius IX in Litteris Apostolicis scripsit — ineffabilis Deus « illam longe ante omnes angelicos spiritus conctosque Sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest » [55].

Hanc regalem dignitatem explicant Eius Immaculata Conceptio et eximia sanctitatis plenitudo.

Praeterea Beata Virgo non solummodo supremum, post Christum, excellentiae ac perfectionis gradum obtinuit, verum etiam aliquam illius efficacitatis participationem, qua eius Filius ac Redemptor noster in mentes et in voluntates hominum regnare iure meritoque dicitur. Si enim Verbum per Humanitatem assumptam miracula patrat et gratiam infundit, si Sacramentis, si Sanctis suis tamquam instrumentis utitur ad animorum salutem, cur Matris suae Sanctissimae munere et opere non utatur ad Redemptionis fructus nobis impertiendos? « Maternum sane — ita idem Decessor Noster imm. mem. Pius IX — in nos gerens animum nostraeque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita, caeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque Caelitum ordines exaltata, adstans a dexteris unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest » [56]. Quam ad rem alius Decessor Noster fel. rec. Leo XIII edixit

Immensa potestas quam veluti materno iure habet in gratiarum elargitione.

---

55 Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus*: *Acta Pii IX*, I, p. 597-598.

56 Ibid. p. 618.

Beatissimae Virgini Mariae in gratiarum largitione concessam esse « paene immensam » potestatem [57]; ac S. Pius X adiungit Mariam hoc munus obire « veluti materno iure » [58].

Glorientur itaque omnes christifideles se Deiparae Virginis imperio subici, quae et regali gaudet potestate et materno flagrat amore.

In his quaestionibus theologi et divini verbi praecones omnem aberrationem caveant.

In his tamen aliisve quaestionibus ad Beatam Virginem spectantibus, curent theologi ac divini verbi praecones ut quasdam e recto itinere aberrationes devitent, ne in duplicis generis errores inducantur; caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlatione excedentes; et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda, quam quidem Doctor Angelicus eidem agnoscendam esse docet « ex bono infinito quod est Deus » [59].

Ceteroquin hoc etiam in cristianae doctrinae capite, sicut in aliis, « proxima et universalis veritatis norma » vivum Ecclesiae Magisterium omnibus prostat, quod Christus constituit « ad ea quoque illustranda et enucleanda quae in fidei deposito nonnisi obscure ac veluti implicite continentur » [60].

IV

E christianae igitur vetustatis monumentis, e liturgicis precibus, ex indito christiano populo religionis sen-

---

[57] Leo XIII, Litt. Enc. *Adiutricem populi*: *A.A.S.*, XXVIII, 1895-1896, p. 130.

[58] Pius X, Litt. Enc. *Ad diem illum*: *A.S.S.* XXXVI, 1903-1904, p. 455.

[59] S. Thomas, *Summa Theol.*, I, q. 25, a. 6, ad 4.

[60] Pius XII, Litt. Enc. *Humani generis*: *A.A.S.*, XLII, 1950, p. 569.

su, ex operibus arte confectis, undique collegimus voces quae asserunt Deiparam Virginem regali dignitate praestare; rationes etiam quas S. Theologia ex divinae fidei thesauro deducendo astruit eandem veritatem prorsus confirmare arguimus. Tot ex allatis testimoniis quasi latissime resonans concentus efficitur qui extollit regii honoris praecelsum fastigium Dei hominumque Matris, cui cuncta creata subsunt, quae est « exaltata super choros angelorum ad caelestia regna » [61].

Cum vero, maturo ponderatoque consilio, persuasum Nobis habeamus magna oritura esse Ecclesiae emolumenta, si quasi in suo candelabro rutilantior lucerna posita, illa solide probata veritas manifestior omnibus refulgeat, Apostolica Nostra Potestate decernimus et instituimus festum Mariae Reginae, quod toto terrarum orbe quotannis die XXXI mensis Maii est celebrandum. Itemque id iubemus ut eodem die humani generis consecratio Immaculato Cordi Beatae Virginis Mariae iteretur. In hoc enim magna spes nititur, fore ut felix oriatur aevum, religionis triumpho et christiana pace serenum.

Cum S. P. sibi persuasum habeat ex eo oritura esse Ecclesiae emolumenta, decernit et instituit festum Mariae Reginae quod toto terrarum orbe quotannis die 31 Maii est celebrandum.

Quapropter videant omnes ut, ad solium miserationis et gratiae Reginae et Matris nostrae petituri opem in adversis rebus, lucem in tenebris, solacium in moerore ac fletu, accedant maiore quam antea nunc fiducia freti; et quod praecipuum est, contendant ut ex peccati servitute sese eripiant, atque tantae Matris regali sceptro, fragranti filiorum immixtum pietati, indeclinabile exhibeant obsequium. Populorum multitudine eius frequententur templa, celebrentur festa; precatoria eius corona omnium in manibus versetur; atque in sacris aedibus, in domibus, in valetudinariis, in vinculis publicis, ad eius concinendas laudes vel paucorum christifidelium coetus, vel conferta agmina consociet. Summo in honore sit Ma-

---

61 Ex *Brev. Rom.*: Festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

riae nomen, quod nectare dulcius et gemma quavis pretiosius est; ne quispiam in ipsum, tanta maiestate decorum et materna gratia venerabile, exsecranda verba coniciat, quod quidem foedi animi indicium est; neve aliquid debita reverentia carens proferre audeat.

S. P. christianum populum in dies ferventiorem ergo B. M. V. devotionem incitat.

Caelestis Reginae nostraeque Matris amantissimae excelsas virtutes contendant omnes, pro sua cuiusque condicione, suos in animos suosque in mores vigili actuosoque studio referre. Inde enim consequetur ut qui christiano nomine censentur, tantam colentes imitantesque Reginam ac Parentem, tandem haud fallacis nominis fratres se sentiant, ac pertaesi invidias et nimium habendi cupiditates, socialem amorem provehant, tenuium iura vereantur, pacem diligant. Neve igitur quisquam se putet Mariae filium, facile in eius praesentissimam tutelam accipiendum, nisi ad eius exemplar iustum, mitem et castum se praestiterit, et verae notae fraternitatis studium non laedendo et nocendo, immo iuvando et solando, contulerit.

Qua potens rerum aevorumque Domina novas semper gratias nobis,

Sunt in nonnullis orbis terrarum regionibus qui ob christianum nomen per iniuriam vexantur atque divinis humanisque libertatis iuribus destituuntur; quae ad arcenda mala nihil adhuc valent iustissimae expostulationes atque iteratae querelae. Ad insontes afflictosque filios convertat misericordes oculos suos, quorum lumen tempestates nimbosque serenando depellit, potens rerum aevorumque Domina, quae novit virginei pondere pedis pacare proterva; atque illis haud sero concedat ut libertate tandem debita fruentes, publica religionis officia obire queant; atque dum Evangelii causae inserviunt, concordi opera et egregiis virtutibus, quae inter dura in exemplum fulgent, terrestrium quoque civitatum robori et incrementis prosint.

Pacisque donum concedet.

Opinamur etiam id, quod per Encyclicas has Litteras instituimus festum, quod luculentius omnes agnoscant ac studiosius venerentur Deiparae clemens mater-

numque imperium, multum ad id conferre posse ut gentium pax, quam res anxietatis plenae cotidie fere conturbant, servetur, solidetur, perennet. Nonne ea arcus est ad Deum positus in nubibus, paciferi foederis signum? [62] « Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo: gyravit caelum in circuitu gloriae suae, manus Excelsi aperuerunt illum » [63]. Quisquis igitur est qui caelestium hominumque Dominam colit, — nemo autem se solutum arbitretur ab hoc impedendo grati amantisque animi tributo — praesentissimam invocet Reginam, sequestram pacis; in honore habeant, ac tueatur pacem, quae minime est impunita nequitia, minime infrenata libertas, sed sub divinae voluntatis nutu et imperio bene ordinata concordia; ad quam tegendam et augendam materna Mariae Virginis hortamina et iussa impellunt.

Plurimum cum optemus, ut Regina Materque Christiani populi haec vota nostra suscipiat et sua hilaret pace concussas odiis terras, et nobis omnibus Iesum post hoc exsilium ostendat, qui erit pax et gaudium nostrum perpetuum; vobis, Venerabiles Fratres, et gregibus vestris, omnipotentis Dei auxilii auspicem, nostraeque caritatis testem, apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, in Festo Maternitatis Beatae Mariae Virginis, die XI mensis Octobris anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

---

62 Cfr. *Gen.* IX, 13.

63 *Eccli.* XLIII, 12-13.

11 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXVI [16 maii 1954] p. 18)

ADHORTATIO

AD E.MOS VEL EXC.MOS PP. DD. ITALIAE ORDINARIOS: DE TELEVISIONE

Televisio in eo est ut ubique inauguretur.

Venerabili Fratelli salute e Apostolica Benedizione. — I rapidi progressi, a cui è ormai avviata in molti paesi la Televisione, sempre più mantengono desta la Nostra attenzione su questo meraviglioso mezzo offerto dalla scienza e dalla tecnica all'umanità, prezioso e pericoloso ad un tempo, per i profondi riflessi che esso è destinato ad esercitare sulla vita pubblica e privata delle Nazioni.

Anche in Italia la Televisione sta per iniziare le sue regolari trasmissioni, e il programma già delineato di una vasta rete di stazioni su tutto il territorio nazionale fa fondatamente prevedere notevoli gli sviluppi che potrà avere questo nuovo e potente strumento di espressione e di diffusione delle immagini, delle idee, dei sentimenti, e dell'arte.

A nessuno può sfuggire l'importanza di questo avvenimento, ponendo esso davanti al pubblico una nuova serie di problemi delicati ed urgenti di ordine morale, di presenza vigile ed attiva, e di organizzazione anche in questo campo.

Grande conforto Ci arreca a questo riguardo il sapere che Voi, Venerabili Fratelli, condividete queste Nostre paterne sollecitudini, e ve ne ringraziamo cordialmente.

Compresi, pertanto, della gravità della materia, crediamo giunto il momento di rivolgere a Voi la parola su questo argomento, per esortarvi a perseverare nei lode-

voli sforzi già da Voi intrapresi, e perchè la vostra azione, convenientemente orientata dalle norme direttive che intendiamo impartirvi, giunga tempestiva ed efficace, e apporti salutari e durevoli frutti.

Necessitas normarum ut ea opimos referat fructus.

Riconosciamo pienamente, Venerabili Fratelli, il valore di questa luminosa conquista della scienza, essendo essa nuova manifestazione delle mirabili grandezze di Dio, il quale « ne ha dato agli uomini la scienza allo scopo di essere onorato nelle sue meraviglie »[1]. Anche la Televisione, quindi, impone a noi tutti il dovere della riconoscenza, che la Chiesa non si stanca mai di ricordare ai suoi figli ogni giorno nel Santo Sacrificio dell'Altare, quando li ammonisce che: « è cosa veramente degna e giusta, retta e salutare ringraziare sempre e da per tutto » Dio per i suoi doni.

Sperandum fore ut televisio luminosiori religiosae veritatis revelationi inserviat.

Tali erano i sentimenti del Nostro animo, Venerabili Fratelli, quando nella Pasqua del 1949, per la prima volta Ci fu dato di usufruire di questo mezzo per comunicare coi Nostri figli, e far sì che non solo giungesse la Nostra voce, ma che i loro sguardi nello stesso tempo potessero incontrarsi con la Nostra persona; e fin d'allora così Ci esprimevamo: « Noi attendiamo dalla Televisione conseguenze della più alta importanza per la rivelazione sempre più luminosa della verità alle intelligenze leali ».

Del resto, non è difficile rendersi conto degli innumerevoli vantaggi della Televisione, qualora essa, come Ci ripromettiamo, sia messa a servizio dell'uomo per il suo perfezionamento.

Mentre, infatti, in questi ultimi tempi il cinematografo, lo sport, nonchè le dure necessità del lavoro quotidiano tendono ad allontanare sempre più dalla casa i membri della famiglia, turbando in tal modo il naturale svolgimento della vita domestica, come non rallegrarCi nel vedere la Televisione contribuire efficacemente a rico-

---

1 *Eccli.* 38, 6

struire questo equilibrio, offrendo all'intera famiglia possibilità di prendere insieme onesto svago, lontano dai pericoli di compagnie e luoghi malsani?

Salutaris vis socialis et familiaris televisionis.

Nè possiamo rimanere indifferenti di fronte al benefico influsso che la Televisione è in grado di esercitare sotto l'aspetto sociale, in relazione alla coltura, all'educazione popolare, all'insegnamento scolastico, e alla vita stessa dei popoli, i quali, mediante questo strumento, saranno certamente aiutati a meglio conoscersi e comprendersi, e ad elevarsi all'unione cordiale e ad una maggiore reciproca collaborazione.

Ea ad evangelii diffusionem conducat oportet.

A Noi piace, tuttavia, soffermarCi in modo particolare sulla parte che la Televisione non mancherà certamente di avere nella diffusione del messaggio evangelico. Ci sono noti a questo riguardo i consolanti risultati conseguiti dalla operosità dei cattolici in quelle Nazioni, dove la Televisione già da tempo è stata introdotta. Ma chi potrà prevedere quali e quanti orizzonti nuovi si apriranno all'apostolato cristiano, quando le stazioni televisive, diffuse in ogni parte del globo, permetteranno a tutti di contemplare ancor meglio la vita pulsante della Chiesa? Noi amiamo pensare che allora si rinsalderanno ancor più i vincoli spirituali illuminati dalla luce dell'Evangelo per opera di questo meraviglioso strumento, una maggior conoscenza, un miglior approfondimento, ed una più vasta dilatazione del regno di Dio nel mondo.

Tali considerazioni non devono tuttavia far dimenticare un altro aspetto di questo delicato ed importante argomento. Se, infatti, la Televisione ben regolata può costituire un mezzo efficace di saggia e cristiana educazione, è altrettanto vero che la medesima non è scevra di pericoli, per gli abusi e per le profanazioni a cui potrebbe essere condotta dalla debolezza e dalla malizia umana; pericoli tanto più gravi, quanto maggiore è la potenza suggestiva di questo strumento e quanto più

vasto e indiscriminato è il pubblico a cui esso si dirige. A differenza del teatro e del cinematografo, che limitano i loro spettacoli a quanti vi accedono per spontanea scelta, la Televisione si rivolge soprattutto ai gruppi familiari, composti di persone di ogni età e sesso, di coltura e preparazione morale differente, e vi porta il giornale, il notizario vario, lo spettacolo. Come la radio, essa può entrare in ogni casa e luogo, in qualsiasi ora, recandovi delle immagini; il che le conferisce maggiore capacità emotiva, soprattutto a riguardo dei giovani. A ciò si aggiunge che i programmi delle trasmissioni televisive sono formati in gran parte da pellicole cinematografiche e rappresentazioni teatrali, le quali, come l'esperienza insegna, in numero ancora troppo limitato sono in grado di soddisfare pienamente alle esigenze della morale cristiana e naturale. E' da rilevare infine che la Televisione trova il suo pubblico più avido e più attento fra i fanciulli e gli adolescenti, i quali per l'età stessa sono i più facili a subirne il fascino, e a trasformare, coscientemente o inconsciamente, in realtà viventi le immagini assorbite dalla visione animata dello schermo.

Humana imbecillitas ac malitia televisione male uti poterunt.

E' agevole, quindi, rendersi conto come la Televisione interessi da vicino più che mai l'educazione dei giovani e la santità stessa del focolare domestico.

Orbene, quando si pensi all'inestimabile valore della famiglia, che è la cellula della società, e si rifletta che tra le pareti domestiche deve iniziarsi e svolgersi lo sviluppo non solo corporale ma anche spirituale del fanciullo, speranza preziosa della Chiesa e della Patria, non possiamo fare a meno di proclamare, a tutti coloro che condividono le responsabilità della Televisione, che gravissimi sono i doveri e le responsabilità che loro incombono davanti a Dio e alla società.

Televisio haud parum iuvenum aeducationis et familiae sanctitudinis interest.

Alle autorità pubbliche soprattutto spetta prendere ogni cautela, perchè in nessuna maniera sia recata offesa o turbamento a quell'aura di purezza e di riser-

Publicae auctoritatis est cavere ne televisionis usus domorum integritatem et puritatem intaminet.

vatezza che deve circondare il focolaio domestico, davanti al quale la stessa saggezza antica, compresa di sacro rispetto, sentenziava: « Niente di scorretto all'udito e alla vista tocchi la soglia di questa casa, ... al bimbo si deve la massima riverenza »,[2].

Davanti alla Nostra mente non cessa di essere presente il quadro doloroso della potenza malefica e sconvolgitrice degli spettacoli cinematografici. Ma come non inorridire al pensiero che, mediante la Televisione, possa introdursi fra le stesse pareti domestiche quell'atmosfera avvelenata di materialismo, di fatuità e di edonismo, che troppo sovente si respira in tante sale cinematografiche? Davvero non si potrebbe immaginare cosa più fatale alle forze spirituali della Nazione, se davanti a tante anime innocenti, in seno alla famiglia stessa, dovessero ripetersi quelle impressionanti rivelazioni del piacere, della passione e del male, che possono scuotere e far rovinare per sempre tutta una costruzione di purezza, di bontà e di sana educazione individuale e sociale.

Minime permittendum ut televisione libido, passiones et malum revelentur.

Per questi motivi, Noi crediamo opportuno osservare che la normale vigilanza che deve essere esercitata dall'autorità responsabile del pubblico spettacolo non è sufficiente per le trasmissioni televisive, al fine di eseguire un servizio ineccepibile dal punto di vista morale, ma è necessario un criterio diverso di valutazione, trattandosi di rappresentazioni che devono penetrare nel santuario della famiglia. Appare, quindi, sopratutto in questo campo, l'infondatezza dei pretesi diritti della indiscriminata libertà dell'arte, o del ricorso al pretesto della libertà d'informazione e di pensiero, essendo in gioco superiori valori da proteggere, i violatori dei quali non potrebbero sfuggire alle severe sanzioni minacciate dal Divin Salvatore: « Guai al mondo per gli scandali! ... guai all'uomo per colpa del quale avviene lo scandalo! » [3].

---

[2] Juvenalis, *Satyr, XIV*, 44. 47.

Noi nutriamo profonda fiducia che l'alto senso di responsabilità di coloro che presiedono alla vita pubblica varrà ad impedire le tristi eventualità che sopra abbiamo deprecato. Amiamo, anzi, sperare che, per quanto riguarda i programmi degli spettacoli, opportune norme saranno emanate, dirette a fare servire la Televisione alla sana ricreazione dei cittadini, ed a contribuire altresì in ogni circostanza alla loro educazione ed elevazione morale. Ma perchè tali auspicati provvedimenti abbiano, poi, piena applicazione, è necessaria da parte di tutti una attenta ed operosa vigilanza.

Neque ad malum propagandum opinata artis aut libertatis iura praetexantur.

A voi primieramente, Venerabili Fratelli, Ci rivolgiamo, e a tutto il Clero, facendo Nostre a questo riguardo le parole di S. Paolo a Timoteo: « Ti scongiuro dinnanzi a Dio e a Gesù Cristo, il quale giudicherà i vivi e i morti, per la venuta e per il regno di Lui: predica la parola, insisti a tempo, fuori tempo: riprendi, supplica, esorta, con ogni pazienza e dottrina » [4]. Ma non meno urgentemente Ci rivolgiamo ai laici stessi, che desideriamo vedere sempre più numerosi e compatti intorno ai loro Pastori anche in questa santa crociata. Coloro specialmente che la Chiesa chiama nell'Azione Cattolica a fianco della Gerarchia, comprendano la necessità di intraprendere opportune iniziative, per far sentire la loro presenza in questo campo, prima che sia troppo tardi. A nessuno è lecito contemplare inerte i rapidi sviluppi della Televisione, quando si sa il potentissimo influsso che essa indubbiamente è in grado di esercitare sulla vita nazionale, sia nel promuovere il bene, come nel diffondere il male. Nè, al verificarsi di eventuali abusi e degenerazioni, ai cattolici basterà di starsene semplicemente a deplorarli, quando invece sarà necessario additarli con segnalazioni ben precise e do-

S. P. clerum et A. C. membra adhortatur ut Televisionis moralitati cooperent.

[3] MATTH. 18, 7.
[4] *II Tim.* 4, 1-2.

cumentate alle pubbliche autorità. Come non riconoscere, infatti, che una delle cause, forse meno avvertita ma non meno vera, del dilagare di tanta immoralità, non è data dalla mancanza di provvedimenti, ma dalla mancata o fiacca reazione degli onesti, i quali non hanno saputo denunciare tempestivamente le infrazioni contro la legge del buon costume?

Utque in ea bonum confirmetur, malum arceatur.

lebrationem, cui centum sacerdotes religioso cum obsequio adstent, atque centum Missas a centum sacerdotibus celebratas. Non ita profecto. Quoad sacrificii Eucharistici oblationem tot sunt actiones Christi Summi Sacerdotis, quot sunt sacerdotes celebrantes, minime vero quot sunt sacerdotes Missam episcopi aut sacri presbyteri celebrantis pie audientes; hi enim, cum sacro intersunt, nequaquam Christi sacrificantis personam sustinet et agunt, sed comparandi sunt christifidelibus laicis qui sacrificio adsunt.

Altum et arcanum « sacerdotium » fidelium non gradu tantum sed etiam essentia a sacerdotio vere proprieque dicto differt.

Ceteroquin negari vel in dubium vocari non debet fideles quoddam habere « sacerdotium », neque hoc parvi aestimare vel deprimere licet. Princeps enim Apostolorum in prima sua Epistola, alloquens fideles, his utitur verbis: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis »; [9] et paulo ante ibidem asserit ad fideles pertinere « sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum » [10]. At quaecumque est huius honorifici tituli et rei vera plenaque significatio, firmiter tenendum est, commune hoc omnium christifidelium, altum utique et arcanum, « sacerdotium » non gradu tantum, sed etiam essentia differre a sacerdotio proprie vereque dicto, quod positum est in potestate perpetrandi, cum persona Summi Sacerdotis Christi geratur, ipsius Christi sacrificium.

Nonnulla cautelae tenendae in quibusdam quae ad progressionem, usum et profectum rei liturgicae spectant.

Gaudenti animo animadvertimus multis in dioecesibus exorta esse propria Liturgiae Instituta, constitutas esse sodalitates liturgicas, nominatos moderatores rei liturgicae provehendae, habitos conventus liturgicos dioecesanos et ex pluribus simul dioecesibus, habitos vel praeparatum iri Conventus ex omnibus nationibus. Perlibenter audivimus hic atque illic etiam ipsos Episcopos huiusmodi Conventibus interfuisse vel praesedisse. Hi coetus

---

[9] *I Petr.* 2, 9.
[10] *l. c.*, 2, 5.

interdum propriam sequuntur regulam, ita scilicet, ut unus tantum sacrum peragat, alii vero (sive omnes sive plurimi) huic uni sacro intersint in eoque sacram synaxim e manu celebrantis sumant. Quod si hoc ex iuxta et rationabili causa fiat, neque Episcopus ad fidelium admirationem vitandam aliud statuerit, obnitendum non est, dummodo huic modo agendi ne subsit error iam supra a Nobis memoratus. Quod dein ad res in Congressionibus illis pertractatas attinet, disceptatum est de propositis ad historiam, doctrinam vel actionem vitae pertinentibus; illatae sunt conclusiones atque vota concepta, quae ampliori huiusmodi progressioni necessaria vel convenientia visa sunt, legitimae tamen auctoritatis ecclesiasticae iudicio subicienda. Haec vero ad sacram excolendam Liturgiam exercitatio et usus continenter increscebant et augebantur, ita ut fideles maiore usque frequentia et numero ad activam coniunctionem et communionem cum sacerdote, qui sacris operatur, compellantur.

«Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros».

At, Venerabiles Fratres, quantumcumque favetis — et quidem iusto iure — usui atque profectui sacrae Liturgiae, ne siveritis huius disciplinae studiosos in vestris dioecesibus ductui et vigilantiae vestrae sese subtrahere, et proprio iudicio sacram Liturgiam temperare et immutare, contra Ecclesiae normas dilucidis verbis statutas: « Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros »[11], et praesertim quoad sacrum peragendum: « Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat »[12]. Neque vosmet ipsi huiusmodi inceptis et magis audacibus quam prudentibus impulsibus vestram concesseritis approbationem vel facultatem.

---

11 Can. 1257.

12 Can. 818.

« Forma facti gregis » (τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου)[13]: haec Beati Petri verba praecipue ad Episcopum spectant, utpote qui *Pastoris* munus habeat et gerat. Peculiaris et propria nota Pontificatus Pii X revera est ratio mosque « Pastoris ». Brevi, postquam is ad apostolici muneris fastigium ascendit, omnibus innotuit ad Apostolorum Principis cathedram evectum esse sacerdotem, qui in animorum curatione adoleverat, qui ab initio sacerdotii sui fuerat et esse perstiterat animorum pastor, usque dum universo gregi Christi pascendo fuit praepositus. Immutabilis norma, quam in agendo habuit, summa vitae, quam sibi constituit, fuit « salus animorum ». Si cupivit « omnia instaurare in Christo », hoc ipsum propter salutem animorum voluit; huic fini et muneri quodammodo cetera omnia sua subiecit. Ipse in medio grege suo fuit bonus pastor, de eius necessitatibus sollicitus, de periculis ei imminentibus anxius; totus in eo, ut gregem Christi in via Christi duceret et dirigeret.

S. Pius X *Pastorum* exemplar.

At Nobis, dum ad vos, Venerabiles Fratres, gregum vestrorum pastores, nunc verba facimus, in animo non est hic eximiam Sancti Pontificis atque Pastoris imaginem et speciem perfectam iterum depingere; memorare potius volumus — quemadmodum iam egimus ad Episcoporum magisterium et sacerdotium quod attinet — nonnulla, quae singulariter hisce nostris temporibus sacri pastoris exigunt nutum, vocem, operam.

Et primo sane nunc animadvertuntur habitus mentis et propensiones, quae *potestatem Episcoporum* — (Romano Pontifice haud excepto) —, prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti, cohibere et circumscribere praesumunt. Eorum auctoritatem, curam et vigilantiam intra certos fines coarctant, qui spectant res stricte religiosas, veritates fidei nuntiandas, pietatis exercitationes moderandas, Ecclesiae sacramenta administranda et liturgico-

Sunt qui potestatem Episcoporum quatenus Pastores sunt cohibere et circumscribere praesumunt.

---

[13] *I Petr.* 5, 3.

rum munerum functiones peragendas. Arcere autem volunt Ecclesiam ab omnibus inceptis et negotiis, quae veram, ut agitur, vitam, « la realtà della vita », quemadmodum ipsi aiunt, attingunt, cum haec posita sint extra eorum facultatem. Breviter, hic cogitandi habitus in publicis sermonibus nonnullorum laicorum catholicorum, etiam qui celso munere funguntur, interdum significatur, cum dicunt: « Episcopos et sacerdotes, libenter videmus, audimus, adimus in Templis, in iurisdictionibus eorum; at in foris publicis et in publicis aedibus, in quibus res huius vitae et terrae aguntur et decernuntur, eos videre et eorum vocem audire nolumus. Inibi enim nos laici, — nequaquam autem clerici, cuiusvis dignitatis et gradus, — sumus legitimi iudices ».

Contra ergo huiusmodi errores aperte firmiterque tenendum est: Ecclesiae potestas nequaquam « rerum stricte religiosarum », uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesiae semper tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consiliarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini. Quare, cum agitur de praescriptis et sententiis, quas legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) in rebus legis naturae edunt, fideles non debent provocare ad effatum, (quod in sententiis privatorum adhiberi solet): « tantum valet auctoritas, quantum valent rationes ». Hinc, etsi cui argumentis allatis ordinatio quaedam Ecclesiae non evinci videtur, tamen, permanet obbligatio oboedientiae. Haec fuit mens, haec sunt

Ecclesiae potestas minime « rerum stricte religiosarum » finibus continetur, sed tota legis naturalis materia, quatenus moralis eius ratio attenditur est in eius potestate.

verba Sancti Pii X in eius Epistola Encyclica *Singulari quadam* diei 24 Septembris 1912 [14]: « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse ». Et statim communem hanc regulam in materiam socialem transfert: « Causam socialem controversiasque ei causae subiectas ... non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint, quum contra verissimum sit eam (quaestionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam » [15].

Etiam in re sociali plures gravissimaeque sunt quaestiones quae non versantur extra auctoritatem et curam Ecclesiae.

Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quaestiones, sive mere sociales, sive sociales-politicae, quae ordinem ethicum, conscientias, salutem animorum spectant, ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo, etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte « religiosae », de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et societatem; de « Statibus totalitariis », quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis; de « totali laicisatione Status », uti dicitur, et vitae publicae; de plane efficienda scholae « laicisatione »; de natura ethica belli, de legitimo vel non

---

[14] *Acta Ap. Sedis*, vol. 4, 1912, pag. 658.

[15] *l. c.*, pag. 658-59.

legitimo bello, quale nostris temporibus geritur, et de viri religiosae conscientiae in eo adiutrici opera permittenda vel deneganda; de vinculis et rationibus ethicis, quibus Nationes mutue reguntur et tenentur.

Veritati rerum, quin etiam ipsi rectae rationi contradicit qui asserit haec, quae memoravimus, aliaque permulta eiusdem generis esse extra ordinem ethicum, ideoque esse, vel saltem esse posse extra potestatem Auctoritatis a Deo statutae, ut provideat iusto ordini, ut ducat et dirigat conscientias et actiones hominum recta via ad eorum finem ultimum; non sane « in abscondito » solum, intra parietes Templi et sacrarii, sed etiam, et multo magis, palam, nuntians « super tecta » (ut verbis Domini utamur [16]), in ipsa acie, in media pugna saeviente inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter « mundum » et regnum Dei, inter principem huius mundi et mundi Salvatorem Christum.

Ecclesia arceri nequit ab inceptis et negotiis quae «la realtà della vita» attingunt cum et in quantum ethico ordini coniunguntur.

Restat ut pauca quaedam addamus de *disciplina ecclesiastica*. Sciant oportet clerici et laici idoneam et legitimam esse Ecclesiam, et idoneos et legitimos esse pro fidelibus quemque sibi commissis intra communes iuris fines Ordinarios locorum ad disciplinam ecclesiasticam stabiliendam et urgendam, idest ad statuendum externum agendi et sese gerendi modum in iis quae externum ordinem spectant, neque vero sive ex natura rei sive ex institutione immediate divina originem habent et constituta sunt. Fas non est clericis aut laicis huic disciplinae se subducere, sed omnibus curae esse debet, ut disciplina ecclesiastica sincere servata Pastoris actio fiat facilior atque efficacior, coniunctio inter gregem et pastorem firmetur, in eodem grege sit pacificum consortium atque concors opera, alter alteri sit exemplo et adiutorio.

Idonea est Ecclesia et idonei sunt eius Pastores ad statuendum pro fidelibus suis externum agendi et sese gerendi modum in iis quae externum ordinem spectant.

At, quae modo locuti sumus de Episcoporum iure, utpote pastorum ovium gregis sibi cuique commissi, in

---

[16] Cfr. MATTH. 10, 27.

omnibus, quae tum ad religionem tum ad leges morum et ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, subsunt cuidam censurae, quae saepe latenter et surde obmurmurat, nec debitum sibi firmum animorum assensum obtinent, idcirco etiam quod discriminis plenam perturbationem adducunt alii hodierni temporis elatiores spiritus, quorum indicia hic plus illic minus patefiunt. Conscientia adeptae maioris personarum aetatis, quae magis in dies asseritur, efficit, ut nescimus quo aestu animi magis magisque agitentur et effervescant. Haud pauci huius aetatis, sive viri sive mulieres, Ecclesiae ductum et vigilantiam indignam putant gerendi se more, qui adultam addecet aetatem; non solummodo id dictitant, sed etiam penitus in sensu habent. Nolunt enim instar impuberum « sub tutoribus et actoribus » esse[17]; volunt existimari et tractari ut adulti, qui sui iuris sint et ipsi sibi statuant quid faciendum quidve omittendum quibuslibet in adiuncts rerum. Proponat Ecclesia — ita illi loqui non dubitant — doctrinae suae dogmata, promulget leges, quae actioni nostrae praesint. Verumtamen, cum haec ad singulorum vitam referenda adhibendaque sunt, tunc illa abstineat neque ullo modo se immisceat; sinat suo quemque fidelem iudicio et conscientia se gerere. Idque asseverant eo magis ita fieri oportere, quod Ecclesiam eiusque administros plerumque latet certus definitusque status rerum, latent scilicet summatim sumpta rerum adiuncta, sive quae intima hominis sive quae extrinseca spectant, in quibus singuli positi sunt et in quibus consilium capere sibique prospicere debent. Praeterea nolunt hi omnes in supremo et intimo consilio voluntatis suae ullum inter se ac Deum habere interpositum interpretem vel intercessorem cuiuscumque dignitatis et nominis sit. De hisce reprehensione dignis opinationibus abhinc duos annos in Allocutionibus, diebus 23 mensis Martii et 18 men-

Sint fideles « adulti », sed sciant plene obnoxios esse legitimae auctoritatis ductui et gubernationi

---

[17] *Gal.* 4, 2.

sis Aprilis anno 1952 habitis, verba fecimus et eorum argumenta examinavimus [18]. De pondere et momento quod adeptae « maiori aetati personali » tribuitur, recte asseritur: iustum et aequum esse adultos non debere regi sicut pueros. Apostolus de se ipso dicit: « Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli » [19]. Non est vera educandi ars, quae aliam sequatur rationem et viam, neque est verus pastor animorum, qui alio intendat quam ut fideles sibi creditos provehat « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » [20]. Sed aliud omnino est adultum esse et evacuasse quae sunt parvuli; et aliud, esse adultum et ideo non obnoxium legitimae auctoritatis ductui et gubernationi. Gubernatio enim non est quasi quaedam tutela infantium, sed ductus efficax adultorum in finem civitatis.

Gubernatio est ductus efficax adultorum in finem civitatis.

At quoniam ad vos, Venerabiles Fratres, non ad fideles, loquimur, cum in vestro grege huiusmodi germina et indicia apparere et crescere incipiunt, fideles admonete: 1) Deum constituisse in Ecclesia pastores animorum, non ut onus imponant gregi, sed ut gregem promoveant et tueantur; 2) ductu et vigilantia pastorum in tuto poni fidelium veram libertatem; eos prohiberi a servitute errorum et vitiorum, firmari contra incitamenta ex pravis exemplis et ex consuetudine malorum hominum orientia, inter quos esse et vivere cogantur; 3) ideo eos agere contra prudentiam et caritatem sibi ipsis debitam, si hanc Dei quasi protensam manum et certissimum delatum auxilium recusent. Inter clericos autem et sacerdotes si quos inveneritis hoc falso studio ac more imbutos, opponite eis gravissima monita Decessoris Nostri Bene-

Quid sunt admonendi fideles, clerici et sacerdotes, qui hoc falso « maioris aetatis » studio imbuti fuerint.

---

18 *Discorsi e Radiomessaggi*, vol. 14, 1952, pag. 19 et seq. - pag. 69 et seq.

19 *I Cor.* 13, 11.

20 *Eph.* 4, 13.

Sacerdotes suis Episcopis coniunctissimi sint.

dicti XV in hanc sententiam locuti: « Unum tamen est, quod praeteriri silentio non debet: quotquot enim sunt sacerdotes, omnes, uti filios Nobis penitus dilectos, volumus admonitos, quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequentissimos. Profecto ab illa elatione animi et contumacia, quae horum est temporum, non omnes, ut supra deploravimus, vacant administri sacrorum; neque enim raro contingit Pastoribus Ecclesiae, ut dolorem et impugnationem inde inveniant, unde solatium et adiumentum iure expectarint [21].

Ad officium pastorale fructuosum et efficax multum confert frequens ac mutua inter Episcopos communicatio.

Hactenus quaedam diximus de materia curae pastoralis; quaedam de personis in quorum emolumentum cura pastoris destinatur; non aequum est sermoni Nostro finem facere, non conversis aliquantulum cogitationibus Nostris ad ipsos Pastores. Ad Nos et ad vos Pastores illa Aeterni Pastoris referenda sunt sanctissima dicta: « Ego sum pastor bonus. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantibus habeant » [22]. Ad Petrum autem Dominus dixit: « Si diligis me, pasce agnos meos, pasce oves meas » [23]. His pastoribus bonis opponit mercennarium, qui se suaque quaerit nec paratus est vitam dare pro grege; [24] opponit Scribas et Pharisaeos, qui regnandi et dominandi cupidi, propriam gloriam quaerentes, cathedram Moysi occupabant, alligabantque onera gravia et importabilia, et imponebant in humeros hominum [25]. De iugo autem suo Dominus dixit: « Tollite iugum meum super vos! Iugum enim meum suave est, et onus meum leve » [26].

---

21 Litt. Encycl. *Ad Beatissimi Apostolorum Principis,* die 1 Novembris 1914; *Acta Ap. Sedis,* vol. 6, 1914, pag. 579.

22 Cfr. Io. 10, 11-10.

23 Cfr. Io. 21, 15, 17.

24 Cfr. Io. 10, 12-13.

25 Cfr. Matth. 23, 1, 4.

26 Cfr. Matth. 11, 29-30.

Ad officium pastorale fructuosum et efficax gerendum multum confert frequens ac mutua inter Episcopos communicatio. Ita in assequenda experientia inque usu rerum alius alium perficit; redditur maior regiminis similitudo, vitatur christifidelium admiratio, qui saepe non intellegunt cur in alia dioecesi res hoc modo se habeant, in alia autem, quae fortasse proxima ei adiacet, dissimili modo, quin etiam interdum prorsus contrario. Ad haec autem consequenda plurimum possunt communes Coetus, qui fere ubique iam in usu sunt, et augustiore celebranda ritu Concilia provincialia et plenaria, quae in Codice iuris canonici constituta certisque legibus circumscripta sunt.

Ad quam accedat oportet coniunctio viva et frequens cum Apostolica Sede.

Ad hanc autem inter Fratres in Episcopatu coniunctionem et communicationem accedat oportet coniunctio et communicatio viva et frequens cum hac Apostolica Sede. Ex antiquissimis Christianitatis temporibus hic viget adeundi Sanctam Sedem usus, non tantum in rebus doctrinae fidei, sed etiam regiminis et disciplinae. Argumenta et exempla haud pauca exhibent antiqui historiae fontes. Romani autem Pontifices, sententiam rogati, non responderunt tamquam theologi privati, sed vi auctoritatis suae, sibi conscii potestatis, quam acceperunt a Christo Domino, regendi totum gregem et quamlibet eius partem. Idem eruitur ex factis et casibus, in quibus Romani Pontifices, non interrogati, controversias exortas diremerunt aut « dubia » ad suum iudicium advocaverunt. Haec ergo coniunctio congruens rei communicatio cum Sancta Sede non oritur ex quodam studio omnia in unum cogendi et conformandi, sed ex iure divino et ex proprio ipsius constitutionis Ecclesiae Christi elemento. Neque cedit hoc in detrimentum, sed in emolumentum Episcoporum, quibus greges peculiares regendi concrediti sunt. Ex communicatione enim cum Sede Apostolica assequentur in « dubiis » lumen et securitatem, in difficultatibus subeundis adiumentum, in angus-

tiis ferendis levamen et solacium. Contra ex Episcoporum ad Apostolicam Sedem « relationibus » haec ampliorem assequetur de statu universi gregis notitiam, melius citiusque cognoscet quae pericula immineant, quae remedia ad mala sananda adhiberi possint.

Venerabiles Fratres, Christus, pridie quam pateretur, pro Apostolis oravit Patrem, simulque pro omnibus in munere eorum apostolico successoribus: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Sicut Tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ... dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis » [27].

Sic ergo Nos, consenior, Aeterni Pastoris in terris Vicarius, ad vos Fratres nostros, seniores [28], et gregum vestrorum pastores, locuti sumus iuxta sepulcra Apostolorum Principis et Sancti Pontificis Pii X, et in extremo sermone Nostro memoris animi cogitationes iterum convertimus ad Missam « Si diligis », a qua sermo initium habuit, in cuius « praefatione » precamur: « ut gregem tuum, Pastor aeterne, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias. Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores »; et in altera oratione post communionem addimus: « Multiplica, quaesumus, Domine, in Ecclesia tua spiritum gratiae, quem dedisti, ut beati Pii Summi Pontificis deprecatione, nec pastori oboedientia gregis nec gregi desit cura pastoris! ».

Quod faxit vobis omnibus Deus secundum divinae largitatis mensuram!

---

[27] Io. 17, 11.18.26.

[28] *I Petr.* 5, 1.

16 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVI [28 maii 1954] p. 223)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 16 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Niko Kazantzakis — *Ὁ τελευταῖος πειρασμός* — *Die Letzte Versuchung,* Roman, Berlin-Grunewald, F. A. Herbig Verlagsbuchhandlung (Walter Kahnert).

Et feria VI, die 1 Ianuarii 1954, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Ianuarii 1954.

MARIUS CROVINI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

17 - Sacra Congregatio Rituum

(*AAS.* XXXXVI [18 mart. 1954] p. 104)

URBIS ET ORBIS

FORMULA BENEDICTIONIS NOVI SEMINARII CLERICALIS

Instantibus plurimis catholici orbis Ordinariis, Sacra Rituum Congregatio formulam benedictionis novorum Seminariorum Clericalium adparavit eamque Sanc-

tissimo Domino nostro Pio Divina Providentia Papae XII pro approbatione reverenter subiiciendam censuit. Referente itaque infrascripto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Cardinali Pro-Praefecto, in audientia diei 23 decembris 1952 eidem concessa, Sanctitas Sua propositum ritum benedicendi novi Seminarii Clericalis, prout in adnexo prostat exemplari, adprobare benigne dignata est eumque inRituale Romanum inserendum mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Maii 1953.

✠ C. Card. Micara, *Ep. Velitern., Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *a Secretis*

BENEDICTIO NOVI SEMINARII

Rector Seminarii, vel alius Sacerdos ob Ordinario ad benedicendas novas Seminarii aedes delegatus (nisi ipse Ordinarius ritum conficere maluerit), ad Sacellum dicti Seminarii, hora praestituta, primum se confert, ibique indutus superpelliceo et stola albi coloris, cum duobus clericis superpelliceo indutis, quorum unus vas aquae benedictae cum aspersorio, alter librum Ritualem defert, ante altare genuflexus, intonat Hymnum: Veni Creátor, *quem clerici seminaristae prosequuntur.*

Hymno finito, Sacerdos dicit:

℣. Emitte Spíritum tuum, et creabúntur.

℟. Et renovábis faciem terræ.

Orémus. *Oratio*

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eodem Spíritu recta sapére, et de eius semper consolatióne gaudére.

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo prævéni, et adiuvándi prosequére: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde, accepto de manu clerici aspersorio, intonat Antiphonam: Aspérges me, *quam seminaristae prosequuntur una cum Psalmo 50*: Miserére, *et, si tempus suppletat, parte Psalmi 118.*

Interim sacerdos, una cum clerico vas aquae benedictae deferente, omnes aulas ceteraque loca novi Seminarii percurrens, eadem de more aqua benedicta aspergit.

Reversus dehinc ad Sacellum et stans ante altare, etsi Psalmus absolutus non sit, cantat: Glória Patri, *etc., deinde dicit*:

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spírito tuo.

Orémus. *Oratio*

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus. *Oratio*

Deus, qui ad majestátis tuæ glóriam et generis humani salútem, Unigénitum tuum summum atque ætérnum constituísti Sacerdótem: præsta; ut, quos minístros et

mysteriórum tuórum dispensatóres elígere dignáris, spíritu sapiéntiæ et timóris tui repleántur, atque ipsum Christum indúti puro corde atque intaminátis móribus sacrum suscípiant ministérium, in eóque fidéles usque ad mortem inveniántur.

Deus, qui Apóstolis tuis, cum María Matre Jesu unanímiter oránibus, Sanctum dedísti Spíritum: da nobis in hoc sacro cœnáculo futúro ministério proludéntibus, eádem Matre nostra et Apostolórum Regína protegénte, majestáti tuæ fidéliter servíre, ut nóminis tui glóriam verbo et exémplo diffúndere valeámus.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mira eruditióne claríficas, et sancta operatióne fœcúndas: da nobis, quæsumus; et quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tunc Sacerdos accipit Crucem, et illam affigit in loco apto Seminarii, ad hoc prius designato, qui si distet aliquantulum a Sacello, eo procedatur Hymnum: Vexílla Regis *cantando.*

Sacerdos affixa in loco Cruce, dicit:

Signum salútis impóne, Dómine, super hanc domum: et non permíttas introíre in eam ángelum percutiéntem. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

Versus Crucem:

Orémus. *Oratio*

Omnípotens, sempitérne Deus, qui in omni loco dominatiónis tuæ totus assístis, solus operáris: adésto supplicatiónibus nostris, ut hujus domus sis protéctor, et nulla hic nequítia .contráriæ potestátis obsístat; sed in virtúte sanctæ Crucis et operatióne Spíritus Sancti fiat

tibi hic purum servítium, et devóta libértas exsístat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus.

Adésto nobis, Dómine, Deus noster: et eos, qui in sanctæ Crucis præsídio confídunt, perpétuis defénde auxíliis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Quibus absolutis, Sacerdos benedicit domui et omnibus praesentibus manu dextera, formans signum crucis, et dicens:

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris et Filii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super hanc domum, super omnes habitántes, docéntes et discéntes in ea, super nos omnes, et máneat semper.

℟. Amen.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

R. P. Felix Asensio S. I., Prof. S. Script. et theol. bibl. in P. U. Greg.

R. P. Dr. Aloisius Bender O. P., Prof. iur. can. in P. I. « Angelicum ».

R. P. Michael Fábregas S. I., Prof. theol. mor. in P. U. Greg.

R. P. Gustavus Gundlach S. I., Prof. eth. et sociol. in P. U. Greg.

R. P. Petrus Huizing S. I., Prof. hist. iur. can. in P. U. Greg.

R. P. Franciscus Hürth S. I., Prof. theol. mor. in P. U. Greg.

R. P. Clemens Pujol S. I., Prof. iur. can. orient. in P. I. Orientali.

R. P. Iacobus Risk S. I., Prof. curs. spec. in fac. theol. et iur. can. in P. U. Greg.

R. P. Hermannus Schmidt S. I., Prof. inst. liturg. in P. U. Greg.

R. P. Marcellinus Zalba S. I., Prof. theol. mor. in fac. theol. Col. Max. Oniensi.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Pag.

De potestate maritali, R. P. I. Risk S. I. 5

De iure con-gestionis salariatorum, R. P. G. Gundlach S. I. 25

Mens Ecclesiae et biblica exegesis, R. P. F. Asensio S. I. 32

Annotationes ad Alloc. S. P. de quibusdam quaestionibus iuris poenalis internationalis, R. P. P. Huizing S. I. . 83

Annotationes ad Alloc. S. P. iis factam qui interfuerunt conventui nationali italico Unionis Iurisconsultorum catholicorum, R. P. M. Fábregas S. I. 98

Officium parvum B. M. V. et Breviaria Parva in religiosis tam fratrum quam sororum Congregationibus, R. P. H. Schmidt S. I. 115

Responsiones circa M. P. « Crebrae allatae sunt », R. P. C. Pujol S. I. 134

De vi canonis 2254 § 1. in ordine ad absolutionem a peccatis ratione sui reservatis, R. P. M. Zalba S. I. . . . 161

Notitiae Sacrae Liturgiae, R. P. H. Schmidt S. I. . . . 173

Episcoporum triplex munus, R. P. F. Hürth S. I. . . 231

De Euthanasiae liceitate, R. P. M. Fábregas S. I. . . . 252

De Iure Anglicano, R. P. I. Risk S. I. 276

De donatione ad causam piam facta a non baptizato; casus theol. practicae, R. P. P. Huizing S. I. 287

Delegatio sacerdoti determinato (c. 1096), R. P. Dr. L. Bender O. P. 305

Notitiae Sacrae Liturgiae, R. P. H. Schmidt S. I. . . 322

INDEX MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII

	Pag.
Allocutio de aptiore catecheseos institutione	48
Allocutio iis qui interfuerunt Conventui XXVI de Urologia	55
Allocutio de quibusdam quaestionibus iuris poenalis internationalis	63
Allocutio membris Unionis Iurisconsultorum Catholicorum	86
Litterae Encyclicae « *Sacra Virginitas* »	184
Litterae Eicyclicae « *Ad Caeli Reginam* »	334
Adhortatio ad Italiae Ordinarios de televisione . . .	352
Nuntius radiophonicus die Paschatis Resurrectionis D.N.	361
Epistula ad Praesidem coetus conventibus « *semaines sociales* » apparandis	364
Allocutio delegatis sod. mar. foederatarum	272
Allocutio E.mis Cardinalibus et Excmis Episcopis qui interfuerant proclamationi festi liturgici Deiparae Caeli Terraeque Reginae	277

S. S. Congregatio S. Officii

Notificatio de privilegio celebrandi vespere primam Missam Natalis D.	109
Praescriptio libri « L'Encyclique *'Humani Generis'* et les problèmes scientifiques »	220
Proscriptio libri « Plenitude »	221
Proscriptio libri « Die Iohannis Freimaurerei » . .	221
Monitum super opusculo « Secretum felicitatis » . .	222
Decretum de disciplina Ieiunii Eucaristici in celebra-	

tione instauratae vigiliae paschalis servanda . . 223

Proscriptio libri « Die letzte versuchung » 393

S. Congregatio Rituum

Decretum super Missa votiva-privata de Imm. Conc. B. M. V. durante hoc mariano anno celebranda . . 109

Variationes in rubricis missalis et ritualis romani . 224

Formula benedictionis novi seminarii clericalis . . 393

S. Paenitentiaria Apostolica

Decretum quo corona septem dolorum B. M. V. indulgentia plenaria ditatur 228

Acta Tribunalium

Sententia circa « Il Sovrano Militare Ordine di Malta » 111

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Abortus therapeuticus, p. 259.
« *Ad Caeli Reginam* », p. 334.
Allocutiones Pontificum et ius con-gestionis, p. 27.
Ambitus potestatis Episcoporum, p. 233.
Amputationis liceitas, p. 55.
Angelica virtus, p. 197.
Annotationes in Alloc. Pont. d. 31 maii et 2 nov., p. 231.
Apostolatus sodalitatum marialium, p. 375.
Ars christiana et regalitas B. V. M., p. 342.
Assensus religiosus, p. 246.
Beatae Virginis Mariae dignitas regia, p. 337.
Bellum atomicum, biologicum, chimicum, p. 363.
Bernhardi Scheichelbauer liber proscribitur, p. 221.
« *Breviaire des fidèles* », p. 127.
« *Breviario romano dei fedeli* », p. 125.
Breviarium parvum, p. 118.
Breviarium romanum, p. 173.
Caelibatus ministrorum anglicanorum, p. 235.
Caeremoniale Episcoporum, p. 173.
Camilli Muller liber proscribitur, p. 220.
Camilli Muller submissio, p. 222.
Cantus liturgicus lingua vulgari, p. 322.
Cantus popularis inter solemnia, p. 323.
Caritas virginum, p. 197.
Castitas perfecta, p. 186.
Catechismus, quomodo docendus, p. 49.
Civilis potestas, p. 366.
Codex anglicanus, p. 278.
Collectio decret. ad sac. lit. pertinentium, p. 170.
Communitas Statuum, p. 87.
Confessio peccatorum secundum cod. anglicanum, p. 281.
Conscientia adeptae maioris aetatis, p. 388.
Constans virginitas et necessitas orationis, p. 215.
Corporis castigatio, p. 209.
Criteria subiectiva exegeseos, p. 34.
De communione infirmorum, p. 227.
Decreta S. C. Rituum, p. 180.
Delegatio sacerdoti determinato (c. 1096), p. 305.
Delictorum internationalium cathegoria, p. 67.

De sanctissimo Eucharistiae sacramento, p. 226.
Deus non omnes ad virginitatem iubendo compellit, p. 205.
Discrimen inter sacerdotium stricte dictum et sacerdotium fidelium, p. 239.
Divinus Redemptor et virginitas, p. 187.
Documenta Pontificia ad instaurationem rei liturgicae, p. 179.
Donatio ad causam piam facta a non baptizato, p. 287.
Duplex principium observandum in casibus tollerantiae erroris religiosi, p. 104.
Educatio sacrae iuventutis et pudicitia, p. 212.
Ecclesia et religiosa tollerantia, p. 107.
Ecclesiae magisterium et exegesis biblica, p. 45.
Ecclesiae potestas et res socialis, p. 386.
Ecclesia universalis et populorum societas, p. 106.
« *El breviario de los fieles* », p. 125.
Elementum formale sacrificii Missae, p. 238.
Enchiridion indulgentiarum, p. 181.
Episcoporum munus, p. 231.
Episcoporum potestas, p. 384.
Errores circa matrimonium, p. 201.
Ethica matrimonialis, p. 250.
Euthanasia, p. 252.
Excellentia virginitatis, p. 195.
Fautores euthanasiae, p. 253.
Fecunditas virginitatis, p. 195.
Festum liturgicum B. M. V. Reginae, p. 378.
Festum Mariae Reginae instituitur, p. 349.
Fines actionis corporationum et syndicatorum, p. 269.
Fontes iuris anglicani, p. 279.
Formatio catholicae iuventutis, p. 52.
Formula benedictionis novi seminarii, p. 393.
Fructus sacrificii Missae, p. 238.
Fuga peccati illecebrarum, p. 209.
Fundamentale principium in societate populorum efformanda, p. 76.
Fundamentum naturale subordinationis uxorum, p. 6.
Generandi impotentia, p. 61.
Gravissime quaestiones circa populorum societatem efformandam, p. 100.
Gubernatio quid sit, p. 389.
Hermeneuticae leges S. Scripturae, p. 33.
Hodie non est magis optandum matrimonium quam virginitas, p. 203.
Homicidium, p. 267.

Hominum naturalia iura, p. 98.
Humilitas et virginitas, p. 213.
Ieiunium eucharisticum in celebratione vigiliae paschatis, p. 223.
Jesu Christi gratia, p. 200.
Impedimenta fidelium promptitudini in credendo, p. 247.
Imperium summum, p. 99.
Instructio pro Missae celebratione, p. 227.
Intentio requisita ad dispositionibus pro causis piis, p. 294.
Iura Ecclesiae, p. 91.
Iura ecclesiastica et non baptizati, p. 289.
Iuris poenalis internationalis necessitas, p. 64.
Ius anglicanum, p. 276.
Ius codicis et potestas maritalis, p. 9.
Ius totalis con-gestionis, p. 27.
Jaquelini Martin liber proscribitur, p. 221.
« *Klein Brevier* », p. 121.
Laicalis Theologia, p. 236.
« *La realtà della vita* », p. 387.
Latina Ecclesia et clericorum perfecta castitas, p. 194.
Lex naturalis, p. 242.
Libertas religionis, p. 91.
Licitum esse potest non impedire publica coertione errores religiosos et morales, p. 105.
« *Livre d'heures latin-français* », p. 126.
Magisterium authenticum episcoporum, p. 282.
Maria analogice Regina, p. 346.
Maria nova Eva, p. 345.
Maritalis potestas, p. 5.
Martirologium romanum, p. 174.
Maternitas divina B. V. M., p. 343.
Matrimonii canones anglicani, p. 282.
Matrimonium et virginitas, p. 201.
Matris Ecclesiae virginitas, p. 198.
Media ad castitatis perpetuitatem, p. 208.
Memoriale rituum, p. 175.
Mens Ecclesiae et biblica exegesis, p. 32.
Misericordia et euthanasia, p. 255.
Missale romanum, p. 176.
Multitudo eorum qui castitatem Deo devoverunt, innumerabilis, p. 186.
Naturae ius et populorum communitas, p. 88.
Naturalis sexus instinctus non est incoercibilis, p. 200.
Necessitas sese a mundo segregandi, p. 210.

Nikonis Kasantzakis liber proscribitur, p. 393.
Nonnullae cautelae quoad motum liturgicum, p. 382.
« *Non occides* », p. 263.
Normae directivae pro usu parvi breviarii, p. 130.
Normae pro tollerantia religiosa status, p. 94.
Nulla legislatio adversus verum bonumque religiosum et morale, p. 193.
Obedientia anglicanis superioribus debita, p. 280.
Occissio iniusti aggressoris, p. 266.
Officium divinum parvum, p. 123.
Officium parvum B. M. V., p. 116.
Ordinatio relationum internationalium, p. 98.
« *Ordine di Malta* » - sententia specialis Cardinalium tribunalis, p. 111.
Ordo Sabbati sancti, p. 177.
Orientalium matrimonii canones 18, 31, 32, 85, 86, 88 annotati, p. 138.
Orientalium matrimonium, p. 134.
Paschale gaudium, p. 361.
Pastoris munus, p. 239.
Pax internationalis, p. 99.
Peccata ratione sui reservata absolvi possunt vi can. 900, p. 167.
Perfecta castitas et Christi sponsi amor, p. 190.
Perpetua virginitas semper viguit in Ecclesia, p. 185.
Pius XI et Pius XII con-gestionem negotiorum commendant, p. 25.
Pius XI exemplar *sacerdotis*, p. 379.
Poenale ius a iure internationali requiritur, p. 69.
Pontificale romanum, p. 177.
Populus christianus et sacerdotium, p. 380.
Potentia coeundi, p. 59.
Potestas maritalis suspendi potest, p. 18.
Praestantia virginitatis super matrimonium, p. 195.
Psalterium, p. 178.
Pudicitia, p. 213.
Quedam televisionis pericula, p. 356.
Quid peritorum est in matrimonialibus processibus, p. 58.
Quidquid cum veritate et lege naturali non convenit nullum ius habet, p. 104.
Quinam admittendi in marialem sodalitatem, p. 374.
Quinam existimant peccata ratione sui reservata absolvi posse ex iuris analogia, p. 162.
Quinam existimant peccata rationes sui reservata non absolvi posse ex analogia iuris, p. 164.

Qui se Deo devoverunt non sunt ab hominum commercio extranei, p. 204.
Quomodo textus liturgici a populo cani debent, p. 326.
Rationes quibus demonstratur euthanasiam illicitam esse, p. 260.
Ratio praecipua sacrae virginitatis, p. 188.
« *Realitas vitae* », p. 240.
Recitatio coronae septem dolorum B. V. M. indulgentia plenaria ditatur, p. 228.
Reginae dignitas in B. V. M., p. 340.
Regula duplicis effectus, p. 261.
Relatio circa ius anglicanum, p. 277.
Reprobantur qui adulescentes a sacerdotio vel a Religione avertere contendunt, p. 207.
Rituale romanum, p. 178.
Rumores belli, p. 362.
Sacerdos determinatus ad normam c. 1096, p. 306.
Sacrae Scripturae doctrina de potestate maritali, p. 8.
Sacra liturgia et Caelestis Reginae laudes, p. 341.
« *Sacra Virginitas* », p. 184.
Sacrificium Missae et sacrificium Crucis, p. 238.
Salariatorum con-gestio, p. 184.
Sancti Patres et virginitas, p. 184.
Sanctorum Patrum documenta de B. M. V. dignitate eximia, p. 338.
Selectio sodalium in Congregationibus marialibus, p. 373.
« *Semaines sociales* » natura et finis, p. 365.
Sepultura ad normam iuris anglicanorum, p. 284.
« *Societas nova* » et ius con-gestionis, p. 30.
Solius sacerdotis est sacrificare, p. 379.
Status iuridice perfectus, p. 98.
Status natura et finis, p. 367.
Stimulus sexus ab homine cohiberi potest, p. 200.
Summi Pontificis animi sensus, p. 217.
Televisio debet educationi iuvenum et familiae sanctitati inservire, p. 355.
Televisionis momentum, p. 352.
Televisio normis directivis indiget, p. 353.
Tollerantia, p. 90.
Traditio catholica et exegesis biblica, p. 39.
Traditionis ecclesiasticae natura, p. 235.
Tumultus mundi a clericis refugiendus, p. 211.
Unius Apostolicae Sedis est liturgiam ordinare, p. 383.
Usus analgesicorum, p. 270.
Usus rectus televisionis, p. 259.

Utilitarismus, p. 270.
Uxorem vir corrigere potest, p. 21.
Uxoris domicilium, p. 14.
Uxoris sepultura, p. 15.
Variationes in rubricis missalis et ritualis romani, p. 224.
Variationes in rubricis missalis romani post Const. « Christus Dominus », p. 225.
Virgines et Dei gloria, p. 192.
Virgines et spiritualia gaudia, p. 193.
Virgines « sequuntur Agnum », p. 191.
Virginitas sacra quoddam matrimonii spiritualis genus, p. 189.
Virginitas sit sponte suscepta propter regnum caelorum, p. 188.
Virgo Maria cum Christo in mysterio redemptionis intime consociata, p. 344.
Virgo Maria virginitatis magistra, p. 215.
Vis canonis 2254 § 1 respectu absolutionis peccatorum reservatorum ,p. 161.
Vitae sanctimonia et castitas perfecta, p. 204.
Vivum magisterium ecclesiasticum, p. 233.
Voluntaria euthanasia, p. 258.

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLIII / FASC. I
15 mart. 1954

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1954

FASCICULI

INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

De potestate maritali. P. I. Risk S. I. 5

De iure con-gestionis salariatorum. P. G. Gundlach S. I. 25

Mens Ecclesiae et biblica exegesis. P. F. Asensio S. I. 32

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1. *Allocutio sacerdotibus conventui de aptiore catecheseos institutione adstantibus atque iuvenibus qui de certamine « Veritas » vicerunt* 48

Allocutio iis qui interfuerunt Conventui XXVI a Sodalitate Ital. de Urologia indicto . . . 55

Allocutio de quibusdam quaestionibus iuris poenalis internationalis 63

Annotationes. P. P. Huizing S. I. . . 83

Allocutio iis qui interfuerunt Conventui nationali Italico Unionis Iurisconsultorum catholicorum 86

Annotationes. P. M. Fábregas S. I. . . 98

S. S. Congregatio S. Officii

2. *Notificatio de privilegio celebrandi vespere primam Missam Natalis Domini* 109

S. Rituum Congregatio

3. *Decretum super Missa votiva-privata de Imm. Conc. B. Mariae Virginis durante hoc Mariano Anno celebranda* 109

Acta Tribunalium

Sententia circa « Il Sovrano Militare Ordine Gerosolimitano di Malta » 111